

## Werk

**Titel:** Petri Petiti Philosophi & Doctoris Medici Parisiensis De Sibylla  
**Untertitel:** Libri tres  
**Autor:** Petitus, Petrus  
**Verlag:** Lankisch; Guntherus  
**Ort:** Lipsiae; Lipsiae  
**Jahr:** 1686  
**Kollektion:** VD17-Mainstream  
**Gattung:** Altertumskunde  
**Digitalisiert:** Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen  
**Werk Id:** PPN737373385  
**PURL:** <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN737373385>  
**OPAC:** <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=737373385>

**LOG Id:** LOG\_0016  
**LOG Titel:** Liber Tertius. De Sibyllinæ diuinationis proprietate & oraculis.  
**LOG Typ:** chapter

## Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

## Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen  
Georg-August-Universität Göttingen  
Platz der Göttinger Sieben 1  
37073 Göttingen  
Germany  
Email: [gdz@sub.uni-goettingen.de](mailto:gdz@sub.uni-goettingen.de)

# PETRI PETITI

Philosophi, & Doctoris medici,

## *DE* SIBYLLA LIBER TERTIVS.

*De Sibyllinæ diuinationis  
proprietate & oraculis.*

### PRÆFATIO.

**S**uperioribus libris vnam tantum fuisse Sibyllam ostendimus, ingenium eius, mores, longum æuum, patriam, antra, peregrinationes e veterum monumentis eruimus, quorum pleraque illi cum aliis fatidicis feminis communia esse potuerunt; nunc hocce in libro, quod magis illi proprium & vernaculum explicare aggredior: qualis scilicet fuerit eius diuinitio, quoue charactere ab aliorum variis facultate secerni poscit; cuius rei ignorantia factum puto, ut pro una examen nobis Sibyllarum exoriretur.

Idque

Idque eo impensius nunc elaborandum est, quod initio eius rei explicationem polliciti sumus, cum auctorum testimoniis vnam fuisse Sibyllam probaremus. Profecto enim ex hac potissimum, quam hic inimus, disputatione doctrinæ illius alioqui ~~διδοξοτάτης~~ confirmatio pendet. Exinde ad oracula veniemus, quibus creditur prædixisse de Christi Domini aduentu & rebus ; & quid de his sentiendum videatur appeariam. Principium autem disputationis, quid inter Sibyllam & Pythiam aliosque vates intersit palam facere. Hoc igitur Numinis freti ope agamus.

## CAPVT I.

*Non eundem fuisse diuinandi modum,  
quo Sibylla vsa est, & quo Pythia  
Apollinis sacerdos & alii va-  
tes, ostenditur.*

**V**T fere in aliis euenit, vt vltimæ & specifi-  
cæ, vt loquuntur, differentiæ lateant, eo-  
que a paucis perspici possint : sic & quæ Sibyl-  
lam ab aliis vatibus discrimina secernunt, non  
modo indoctum sed & eruditum vulgus hacte-  
nus

nus fugerunt. Hanc depellere animis caliginem pro virili conabor. Primum quidem quæ fuerit ratio Sibyllinæ divinationis, quamque diuersa ab aliorum vaticiniis, ex his cuius perspicuum esse poterit: fuit enim in Sibylla universalis quædam præsagiendi facultas, qualis nulli alii vatum tributa: neque tempori aut loco cuiquam peculiari addicta fuit, ut Pythiæ, sed quoquis tempore & loco vaticinari poterat. Quippe eam vim nacta ab ipso conceptu, ut supra notauimus; cum Pythia non semper, neque pro arbitrio, vbi interrogaretur, responsa dare posset, sed occasionem atque, ut sic dicam, tempestiuitatem præstolari cogeretur, donec numen ipsam inuiseret: semel enim tantum singulis mensibus afflari solitam Plutarchus tradit. Sed neque alibi quam Delphis in templo Apollinis, neque quoquis eius templi loco, sed in adyto & specu, tripodique insidens, vaticinari poterat. Longe alia ratio Sibyllæ, cui, ut dixi, vis illa semper præsto quoquis loco & tempore: neque tripode illi, aut fatidica aqua, aut lauro opus erat, vtpote natura vates & in potestate habens furoris illius usum quo futura præuideret.

Quod equidem non dico, quasi putem semper eodem modo se habuisse ad expediendas muneras sui rationes, non aliquando melius aliquando deterius; quem tenorem & virtutis æquabilitatem ingenii humani conditio non capit; sed

sed quia posita naturæ opportunitate & voluntate, nunquam illi genii inspiratio deerat: non aliter illi , vbi opus esset , sese ex occulto adiungentis , atque in sententia Peripateticorum intellectus agens , qui ex mente Auerrois & Alexandri Aphrodisei intelligentia est humanæ speciei illucens , ad libitum cuiusque vim suam & lumen animæ infundens. Quod enim lex naturæ & ordo in adiungendo ad animum humanum intelligentiæ præstat apud eos philosophos, id dæmon ex destinato & consulto faciebat in Sibylla : siue ut quantum in animam hominis posset declararet , & numinis in se honorem & cultum transmoueret , siue etiam ut veri improvidos in eum errorem deduceret, quod naturalis animæ humanæ insit futura prænoscendi facultas : quam tamen nullam illi esse a natura tributam , quæ quidem rationis captum excedat, supra ostensum est.

Quin fortasse quocumque vellet tempore , & quocumque corporis statu , Sibyllam vaticinari potuisse omnino sequitur : si verum est quod Proclus in Timæo prodidit , & supra recitatamus , statim a natuitate hanc in voces fatidicas erupisse : ὥστε ή Σίβυλλα πορέ αὐτὴν δημούησον χρησμωδήσαο &c. Quod idem de Apollonio Tyaneo & Sofipatra credi potest. Quibus dæmonem haud secus atque animam ipsam semper præsentem fuisse, ex iis, quæ de ipsorum actis historiæ produnt , intelligi potest.

Quibus

Quibus haud inferiorem in hoc fuisse Sibyllam constat: immo huic magis adhuc familiarem fuisse & præsto ad omnem diuinandi impetum dæmonem existimandum est. Quo magis mirari eos subit qui Pythias vates cum Sibylla confundunt: ad quem impegitse scopulum videtur Eusebius, dum sic de Sibylla in oratione ad Sanctorum cœtum tradit: ἡ τόινυν Ερυθραία Σί-  
βυλλα, Φάσονται, ἐαυτὴν ἔκτη γενεᾶ μῆτρα τὸν να-  
ταπλυτμὸν γενέθαι, ιέρεια ἡνὶ τῷ Απόλλωνος,  
Διάδημα Πτίσης τῷ θεοπονευομένῳ τῷ ἀντῆς  
Θεῷ Φορέσσαι, καὶ τὸν τρίποδα, τῷ δὲ ὀνόφριος  
ἄλεστο, τετράποδον. Διπορεύεται τε τοῖς  
χρωμένοις ἀντῃ &c. Sibylla igitur Erythraea, quæ  
seipsum sexta post diluvium generatione vixisse &  
sacerdotem Apollinis fuisse dicit, diadema ex aequo  
una cum Deo cui seruiebat gestans, & tripodam cir-  
ca quem serpens voluebatur frequentans, & ipsam  
consulentibus responsa edens &c. Sane tripodem  
in templo Apollinis, quod Delphis fuit, tan-  
tum fuisse, ori speluncæ e qua oracula redde-  
bantur impositum, cum alii scriptores antiqui  
censem, tum Seruius ad tertium librum Ænei-  
dos his verbis haud obscure innuit: *Tripodes*  
*mense fuerunt in templo Apollinis Delphici, qui-*  
*bis superpositæ Phœbades vaticinabantur.* Sed  
vnius Lucretii sufficiat auctoritas, dum ita de  
oraculo Delphico canit lib. 5.

*Quæ prius aggrediar, quam de re fundere fata  
Sanctius, & multo certaratione magis quam  
Pythia quæ tripode e Phœbi lauroque profatur.  
Neque mihi quisquam hic Erasmus obtrudat,  
qui non vnius oraculi & loci proprium fuisse  
tripodem censuit Chiliad. I. cent. 7. adag. 90.  
E tripode : *translatum* (inquit) *a tripode vel*  
*Delphica vel Pythia.* *Nam* hæc duo oracula quon-  
dam summam fidem apud mortales obtinuerunt.  
Hic enim error manifestior est, quam ut verbis  
confutari debeat. Multum & a Bacidum fu-  
rore dispar vis Sibyllæ : siquidem & istorum  
temporarius fuit afflatus, quem illis a Nym-  
phis excitari solitum antiquitas credidit. De  
quo vaticinii genere seorsim dicendum erit:  
vbi eadem soluetur difficultas quæ de Sibylla;  
num scilicet plures ii, ut vulgo creditur, an  
vnus tantum eius nominis vates fuerit.*

Quod autem mihi præcipuum in Sibylla, pal-  
marium, singulare fuisse videtur, vniuersitas  
est diuinationis, ad omnia tempora, omnes  
euentus se extendentis. Euentus inquam, non  
rerum paruarum & ad priniatorum homi-  
num fortunam peruenientium, sed magnoru-  
m virorum, puta regum & imperatorum, ad  
mutationes imperiorum, & prævia iis portenta  
& prodigia; quæ quibus ceremoniis & sacris  
procurari deberent, distincte carminibus expo-  
suit, ut mox dilucidis scriptorum veterum testi-  
moniis probabo.

CAPVT

## CAPVT II.

*Vniuersitas Sibyllinæ diuinationis.*

**E**Nimvero mihi attentius contemplanti, & Sibyllæ diuinationem cum aliorum antiquorum vatum responsis comparanti, eadem huius ad aliorum facultatem ratio fuisse videtur, quæ Romanarum rerum ad gesta aliarum nationum, historiæ Polybii ad alias superiorum scriptorum historias. Quas sic inter se ut vniuersalia a particularibus differre Polybius ipse initio historiarum suarum præfatur his verbis: *ἐν μὲν δὲ τοῖς ἀρχὴτων χρέοντις, ὡσανεὶ ἀραιάδαις εἶναι συνέβαντε τὰς Ἰησοῦς οἰκουμένης πράξεις.* (*Διὸ τὸ καὶ κτί τὰς Μπιζολάς ἐπὶ ἣ συντελεῖας αὐτῶν, καὶ κτί τόπος Δαφέειν ἐκατα τῶν πεπραγμένων.*) Διὸ ἢ τέτων τῶν καιρῶν οἷονει σωματοειδῆ συμβαίνειν γίγνεσθ τὴν ισορίαν, τυπτλένεθαι τε τὰς Ιταλίας, καὶ Λιβύας πράξεις, τὰς τε κτί τὴν Ασίαν καὶ τὰς Ελληνίας, καὶ τοὺς ἐν γίγνεσθ τέλος τῶν ἀναφορὰν ἀπάντων. id est, Enimvero ante ista tempora, quæ per orbem terrarum gerebantur ea quasi sparsa diuulsaque erant: cum οἱ susciperentur οἱ finirentur singula eorum diuersas ob causas, οἱ temporibus quoque ac locis iniucem distarent. Post ista vero tempora, ut in unum quasi corpus coiret historia, euenit: utque res Italicae ac Libycæ

*Asiaticis & Græcis miscentur, & omnes ad unum finem referrentur.* Et non multo post de suo instituto : τὸ γδὴ Τῆς ἡμετέρας περιγματειας ἕδιον καὶ τὸ θαυμάσιον τὸν καθ' ἡμᾶς παῖσαν, τέτο ἐστιν. οὐ καθάπερ η τύχη χεδον ἀπαντά τὰ Τῆς ὀικουμένης περιγματα τῷσις ἐν ἔκλινε μέρεσι, καὶ πάντα νένειν ἡνάγκασε τῷσις ἐνα καὶ τὸν αὐτὸν σκοπὸν. Στῶ καὶ Διὰ τῆς ἴσορειας, τῷσιδιαν σύνοψιν ἄγειν τοῖς ἐντυγχάνσι τὸν χειρομὸν τῆς τύχης, ὃ πέχεσσι τῷσις Τὴν τὰν ὅλων περιγμάτων συντέλειαν. id est, *Quod enim operis nostri proprium est, nostroque tempore mirandum accidit, hoc illud est: quod sicut fortuna res prope vniuersas totius qua habitatur orbis in unam partem inclinavit, atque omnia ad unum eundemque scopum vergere coegit: ita & nos scriptio[n]e bac sub unum quasi conspectum electoribus ponimus, quoniam modo ad operis hujus vniuersi consummationem ipsa se fortuna gesserit.*

Non possum commodiore ad propositum uti exemplo. Ut enim historiæ, sic vaticinia, coniuncta sunt rebus de quibus pronunciantur; res autem in eam partem finemque vertunt, quo numinis dicit prouidentia, quam vbiique Polybius τύχην, hoc est, *fortunam* vocat. Quo nomine Deum intelligit; cum rerum vniuersitatis auctorem & causam primam, tum ordinis inuentorem atque custodem quo res humanæ procedunt; occultis hominum consilia & facta habe-

habenis regentem, eumque ad exitum omnia ducentem, quem in arcanis æternitatis suæ optimum esse decreuit. Omnia enim occultæ & immobiles rationes alte sunt defixaæ in sapientia Dei: quas quia fragiles hominum mentes vide-re non possunt, veteres vocabulo ab ignorantia sua nato designare instituerunt.

Cæterum recte atque etiam diuinitus Polybius ibi, ex accurata illa qua pollebat rerum cognitione obseruat, eiusmodi fuisse earum processum, ut inde cuius sagaci apparere possit, ea omnia, quæ ante Romanorum dominatio-nem variis orbis partibus gerebantur, ita consulto dispersa atque comparata, quæ postmodum eodem prouidentiæ consilio ceu partes in vnum corpus, sic ipsa in vnius potentia & imperii maiestatem & supremum apicem coalescerent atque ut ita dicam coagmentarentur. Post-quam igitur de aliis prioribus regnis, quæ maxime floruerunt, Persarum scilicet, Lacedæmoniorum, Macedonum dixit, eorumque an-gustias respectu vniuersi orbis terrarum ostendit, sic de Romano imperio subdit: Ρωμαῖοι γε μὴν δίηνα μέρην, χεδὸν ἢ πᾶσαν πεποιημένοι τὴν οἰκουμένην ὑπήκοον ἀντοῖς. Σηλωτὸν μὲν τοῖς νῦν δῖσι, ἀνυπέξεληγεν ἢ τοῖς ὅπιζωμένοις ὕπερχῆν κατεσκένασαν δυνασίας. id est, At Romani non partibus solummodo aliquot, sed uni-verso fere terrarum orbe in ius ditionemque suam

*coacto, imperium suum in tantum euexerunt fastigium, ut prædicare quidem eius felicitatem presens etas merito queat: superare vero illud nulla vñquam secula valeant.*

Haud aliter Plinius & ad hunc, opinor, Polybii locum respiciens, lib. 3. cap. 5. Italiam numine Deum electam dicit, quæ sparsa congregaret imperia. Age hunc magni scriptoris locum ipsissimet eius verbis referamus: *Terra omnium terrarum alumna, eadem & parens, numine Deum electa, quæ cælum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret imperia, ritusque molliret, & tot populorum discordes ferasque linguas, sermonis commercio contraheret: colloquia & humanitatem homini daret: breuiterque, una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret.*

Quorsum, dicet aliquis, hæc tam multa de imperii Romani magnitudine, & quid ad Sibyllam? Quia sicut Deus voluit vnum in terris esse imperium, quod potentia in vniuersum terrarum orbem diffusa imaginem gereret Ecclesiæ; sic & in iis ipsis gentibus ethnicis vnam quandam esse vatem, quæ vaticinii sui ambitu omnia quæ gererentur in mundo singulari afflatus potestate comprehendenderet. Huiusmodi vero vatem Sibyllam fuisse dicimus; non tam vatem, quam thesaurum vaticiniorum & prophetiarum apud paganos: quo modo libros Mosis appellat Tertullianus, *thesaurum scilicet Judaici sacra-*

*sacramenti, & inde nostri, hoc est, Christiani.*  
 Quæ enim pars terrarum, quæ regio, quæ gens, quæ ciuitas, cui non sua fata in iis voluminibus, quæ nomine eius circumferuntur, prænunciet? Non equidem quia putem Sibyllina hæc quæ in manibus habemus omnia esse genuina Sibyllæ; sed quod fieri posse non arbitror, ut omnia sint fictitia & notha. Tum si sint talia, ex ipsa tamen fabula intelligi potest, quid de Sibyllini afflatus maiestate senserint ii qui hanc fabulam composuerint: cui nunquam ditionem tam amplam tamque extensam & per omnem mundum & temporum circuitus patentem affinxissent, nisi aliunde nouissent, huiusmodi diuinationis immensitatem non esse a Sibylla alienam.

Huius argumentum sane haud sublestum est quod de ætatum mundi diuisione ex Sibyllæ carminibus refert Seruius ad quartam eclogam hoc versu:

*Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.*

ibi Seruius: *Sibyllini* (inquit) carminis, id est, Sibylle quæ Cumana fuit, & secula per metalla diuisit: dixit etiam, quis quo seculo imperaret: & solem vltimum, id est, decimum voluit. Nouimus autem eundem esse Apollinem: unde dicit, tuus jam regnat Apollo. Dixit etiam, finitis omnibus seculis rursus eadem renouari: quam rem etiam philosophi hac disputatione colligunt, dicentes

completo magno anno omnia sidera in ortus suos redire, & referri rursus eodem motu. Quod si est idem siderum motus, necesse est ut omnia quæ fuerunt; habeant iterationem. Vniuersa enim ex astrorum motu pendere manifestum est. Itaque in primis celebris hæc fuit ætatum diuisio & per omnes literatorum cœtus & libros peruagata; vt eorum monumenta versantibus notum est, qui aut eius mentionem faciunt, aut ad eandem alludunt. Maxime autem hanc versibus commendauit Hesiodus in poemate quod inscripsit ἔργα νοῦ ἡμέρα. A quo Aratus accepit in Phænomenis: tum ab his Ouidius initio Transformationum: Maro etiam respexit in 3. Georg:

*Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.*  
 Sed & Plato allusit manifeſte octauo πολιτεῶν his verbis: ὅκη τέτων ἀρχοντες & πάνυ Φυλακιοὶ κατασήσονται, τοξεῖς τὸ δοκιμάζειν τὰ Ησιόδες τὲ ιψὶ τὰ παρ' ἡμῖν γένη, χεισθντε, καὶ δέργεσθν, καὶ χαλιθν, καὶ σιδηρεσθν. id est, Ex his autem principes constituentur non admodum ad custodiā iacōnei, & ad examinandū genera illa, quæ apud Hesiodum & quæ apud nos referuntur: aureum scilicet genus, argenteum, & eneum, atque ferreum. Quod autem antiquissima sit hæc diuisio non modo ætatum per metalla, sed etiam imperiorum, apparet ex somnio Nabuchodonoforis Chaldæorum regis potentissimi Danielis

capite

capite secundo. Quo somnio placuit Deo reuelare prophetæ illi sublimi præcipuas rerum humanarum vices, quas quinque ordine in orbem venturas quintuplex metalli genus in ea statua adumbrat: aurum, argentum, æs, ferrum, mixtum ex ferro & terra. Quo pacto & apud Hesiódum citato opere quintuplex hominum genus distinguitur. Sed de his alias diligentius; tum etiam de vulgata opinione, quæ vnicuique planetarum propriam assignat metalli speciem. Quorum accuratior consideratio aliud tempus postulat.

Nunc sufficit nobis ostendere ex hac ætatum diuisione per metalla, & eorum qui seculorum decursu imperare deberent prædictione, quam Sibyllam Cumæam carmine expressisse Seruius loco allato testatur; ostendere inquam, quæ fuerit Sibyllæ facultas diuinandi, quam late patens & vniuersum complexa æuum. Quo nomine cum Mose & Daniele comparari possit: quoram alter suum vaticinium ab ipsa rerum ultima origine repetit, cæli & terræ creationem, & cæterarum mundi partium & ornatus, vniuersa religionis mysteria & ritus tradit: alter vero imperiorum vices & successiones ad Christi usque regnum prosequitur. Verum Sibylla non tam distincte hunc rerum ordinem, hasque reuolitiones temporum tradit: sed ob-

scuro magis & fabulis impedito dicendi genere,  
vt paganae conuenit,

*Quale per incertam lunam sub luce maligna  
Est iter in siluis, ubi cælum condidit umbra*

*Juppiter, & rebus nox abstulit atra colorem;*  
breuiter, quod & Maro de eadem, ubique obscuris vera inuoluit. Sic cum Moses diluvii uniuersalis, quo uniuersum genus humanum, vna Noe familia excepta, extinctum fuit, historiam dedisset; hanc cladem horrendam Sibylla ad illud diluvium, quo Græcia sub Deucalione afficta est, transtulit. Quod idem Moses narrat de primis ciuitatum conditoribus, & gentium tyrannis, quos gigantes vocat, tum arcis excellissimæ ædificatione, quæ turris Babel ab euenu dicta est, qua homines superbissimi nomen suum posteris commendare voluerunt; Sibylla ad gigantum Deos in campis Phlegræis oppugnantium temerariam audaciam detorsit. *Titanes autem vocat.* Versus sic habent:

*αλλὰ καὶ αὐτοὶ ταῖς εργαῖσιν οὐδεὶς ἔχοντες,  
ὑπάτη Εὐλεύσονται ἐπειγόμενοι τῷδες ὄλεθρον,  
αὐτίκιον μαχέσουσι ἐπ' θρησκευμάτων.*

*Hi vero (tantum precordia vana tumebant)*

*Constituent tandem, properantes perdere se;*

*Illato bello stellatum inuadere Olympum.*

Quos repentina Oceani eruptione, non autem fulmine ut poetæ fabulantur, a tam furioso ausu represso dicit.

Ab

Ab eiusdem item oraculis profectam arbitror opinionem de humanæ statuaræ & virium detrimento temporum processu, de qua re Plinius sic lib. 7. cap. 16. *In plenum autem cuncto mortalium generi minorem in dies fieri (mensuram) propemodum obseruatur: raroisque patribus proceriores, consumente ubertatem seminum exustione, in cuius vices nunc vergat eum.* Quippe & inter Sibyllæ vaticinia proditum fuisse de mundi consumptione per ignem, conjectare licet ex his Ouidii versibus in primo Transformationum; quibus Jouem de hominum sceleribus poena vltima coercendis deliberantem inducit :

*Jamque erat in totas missurus fulmina terras:  
Sed timuit, ne forte sacer tot ab ignibus æther  
Conciperet flamas, totusque ardeceret axis.  
Esse quoque in fatis reminiscitur, affore tempus,  
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cæli  
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.*

Vbi fata more poetarum a Deo distinguit, tanquam extra voluntatem Dei posita: quod plane est poeticum & vanum. Bifariam autem fata usurpantur; vel pro ratione immobilis legis rebus dictæ; vel pro oraculis quibus eius legis arcana enunciantur, qualia Sibyllæ in primis. Quod igitur Poeta in fatis dicit, & Jouem eorum reminisci, tanquam hæc de ἐπινεώσει in fatalibus legisset, allusio est ad Sibyllæ carmen

quo

quo mundi conflagrationem aliquando futuram vaticinata est. Verum de allusione ut magis constet, nonnulla de fatali ista mundi conflagratione attingere oportet: eoque ipse hic Ouidii locus nos vocat, qui perabsurdum alioqui offert sensum, nisi commoda explicazione adiuvetur. Quod offendiculum nullius censura esse notatum in tanta eruditorum multitudine, qui Ouidii scripta quotidie euoluunt, satis mirari non possum.

### CAPVT III.

*Ouidii locus de fatali mundi conflagratione expenditur: vera huius sententia aperitur: tum de mundi per infinitos temporum circuitus exitu & restituzione.*

**Q**uod igitur in eo Ouidii loco offendit, nimirum hoc est. Juppiter, summus princeps & moderator hominum & deorum, iratus mortalibus ob mores corruptos & nimiam scelerum licentiam toto terrarum orbe effusam, omnes, quod scilicet illi magis in promptu atque in manu supplicii genus, fulmine crebro delere cogitat: quod & re erat executurus, nisi metueret, ne tantis ignibus tota ætherea compages penitus

penitus dissoluatur. Hic quæro , cur metuat justus vindex id facere occasione poscente, quod fato ineuitabili futurum aliquando scit? Ita enim mox reminisci fatalis eius casus dicitur:

*Esse quoque in fatis reminiscitur , affore tempus*

*Quo mare , quo tellus &c.*

Cur , inquam , quod fatale est metuit , & non potius id ipsum exequi properat , quod vt accidat in fatis esse nouit , vt hoc modo quod fatale est expleat ? perinde vt in nostris literis euangelicis multa fieri dicuntur *ut impletantur scripturæ* , hoc est , præscita. Contra Juppiter ne impleteat fatale decretum , neue ipsum ad exitum opera sua traducat , videtur metuere , quantum quidem verborum series & contextus præfert :

*Esse quoque in fatis reminiscitur , affore tempus*

*Quo mare , quo tellus , correptaque regia cœli*

*Ardeat , & mundi moles operosa laboret.*

*Tela reponuntur &c.*

Hoc igitur sensu quid absurdius dici potest , si ita vt verba sonant is locus accipiatur ? Verum alia profecto huius sententia est : neque Deus id metuit , ne flammis mundum perdat , sed ne non suo tempore ; quod nondum fatalis mundanæ conflagrationis terminus adesset. Nam & hoc maxime in fatis , non modo vt aliquid eueniat , sed *vt suo tempore*. Vnde illud in 10. Aeneid.

*Aeneo*

*Adueniet iustum pugnæ (ne accersite) tempus.  
Iustum tempus vocat quod Græci εἰμαρτυροῦν  
fato præstitutum & fixum.*

Ex his intelligi potest, allusum his versibus esse ad Sibyllæ vaticinium de fatali terrarum & totius mundi exustione. Quod autem non semel sed infinites statis temporum interuallis & seculorum reuolutionibus hæc mutatio accidat, & in talem Sibyllæ vaticinium competit, locus Seruui supra allatus declarat: *Dixit etiam, (Sibylla) finitis omnibus seculis rursus eadem renouari.* Quod dogma de rerum certis temporum periodis Διπλασίαι & instaurazione celebre apud philosophos & decantatum, a Sibyllæ carmine profectum esse idem Seruius ibidem obseruat. Mox enim post verba modo allata subdit: *Quam rem etiam philosophi hac disputatione colligunt, dicentes: completo magno anno omnia sidera in ortus suos redire, & referri rursus eodem motu.* Quod si est idem siderum motus, necesse est ut omnia quæ fuerunt habeant iterationem. Genera mutationum, quibus periodi finiuntur & restaurantur, duo posuerunt: *νατηλυσμὸν & ἐκπύγωσιν*, diluvium & conflagrationem; alii quidem per mundi partes tantum, ut Plato & Aristoteles; alii per totum mundum simul, quæ opinio fuit Heracliti & Stoicorum. De hac vniuersa rerum per ignem aut aquam consumptione & renouatione tradentem ex veterum

terum sententia Firmicum videre est libro tertio cap. i. cuius verba subiungere haud abs refuerit. Ibi de mundi ipsius agit genesi, non quia hanc ratione vlla posse explicari putat, sed doctrinæ gratia. Sic autem loquitur: *Non fuit ista genitura mundi: nec enim mundus certum diem habuit ortus sui, nec aliquid interfuit eo tempore, quo mundus diuinæ mentis ac pronidi numinis ratione formatus est, nec eo usque se intentio potuit humanæ fragilitatis extendere, ut originem mundi faciliter posset ratione concipere aut explicare, præsertim cum trecentorum millium annorum maior datoratæsus, hoc est, redintegratio, per cœpitæwōn aut per natænlusūspatiō perficiatur.* His enim duobus generibus datoratæsus fieri consuevit: namque exustionem diluvium, hoc est, cœpitæwōn natænlusūspatiō sequitur; nulla enim re alia exustæ res poterant renasci, nec vlla re alia ad pristinam faciem formamque reuocari, nisi admixtiones, atque concretus puluis favillarum, omnium genitalium seminum collectam conciperet fecunditatem &c.

Quando autem & quomodo hæ mutationes accident, Seneca ex Chaldaeorum traditionibus explicat lib. 3. Quæst. natural. cap. 29: *Chaldaeorum ista vanitas, & Berossus qui Belum interpretatus est, dicit cursu ista siderum fieri: & adeo quidem affirmat, vt conflagrationi atque diluvio tempus adsignet: arsura enim terrena contendit,*

tendit, quando omnia sidera in cancro conuenient; inundationem futuram, cum eadem siderum turba in capricornum conuenerit. Idem refert Censorinus de die natali cap. 18 : *Est præterea annus, quem Aristoteles maximum potius quam magnum appellat, quem solis & lune vagarumque quinque stellarum orbes conficiunt, cum ad idem signum ubi quondam fuerunt una referuntur: cuius anni hyems summa est cataclysmus, quam nostri diluvionem vocant; ætas autem eiprofis, quod est mundi incendium. Nam his alternis temporibus mundus tum ignescere tum exaque-scere videtur.* Mitto alia veterum loca : sunt enim prope innumera. Quod autem ad præ-sens institutum magis pertinet, dicam. Tam-etsi Sibyllam de utroque mutationis genere per aquam & ignem vaticinatam non dubito, non tamen mihi videri has clades pertinere ad *Διονατάσασιν*, quam Maro in ecloga ex Cumææ Sibyllæ carmine futuram describit, & philoso-phorum doctissimi probarunt. Magna profe-cto diuersitas. Hæc namque totius generis hu-mani ab extrema degeneratione & corruptione in optimum statum, nempe ab ætate ferrea in auream, regressum & restitutionem notat, ne-que interim quicquam de præcipuis mundi par-tibus & rerum naturis mutat. Aliæ autem mutationes, magnæ; de quibus Plato in Timæi initio, & post eum Cicero in somnio Scipionis dicit,

dicit, quibus terras exuri aut mundari contin-  
git, non modo non omnem mundum destru-  
unt, sed neque humanum genus vniuersum ab-  
olere possunt ; cum non totam terram , sed  
quasdam tantum eius partes attingant : vt Ma-  
crobius recte notat lib. 2. cap. II. *Nunquam ta-  
men siue cluuiio siue exustio omnes terras automne  
hominum genus vel omnino operit vel penitus exu-  
rit.* Quod idem ex Platonis verbis in Timaeo  
colligas. Sed & Aristoteles lib. I. Meteor. cap.  
vlt. non nisi in partibus terræ has fieri mutatio-  
nes docet, eosque, qui ex talibus euentis mun-  
dum corruptioni esse obnoxium ratiocinantur,  
irridet : γελῶιον γέ (inquit) οὐ μηδὲς καὶ  
ἀκαρχαῖς μεταβολαῖς κινεῖ τὸ πᾶν. *ridiculum*  
*enim ob leues paruasque mutationes mouere vni-  
uersum.*

Quin nec cataclysmum, de quo est in histo-  
ria Mosis , quæ inscribitur Genesis, vniuersum  
terrarum orbem operuisse satis constat : quod  
esse incredibile, neque ex Scripturæ verbis, si re-  
cte intelligantur , sequi, non desunt qui dispu-  
tent. Qua de re elegans & eruditæ extat disser-  
tatio Anonymi cuiusdam *de diluuii vniuersalitate*  
Genevæ impressa apud Petrum Columesium an-  
no 1667. Ex quo quiuis intelligat, multum has  
in partibus terræ accidentes mutationes differre  
ab illa generali rerum humanarum Διπλασί-  
σει , de qua Sibylla & philosophi. Proinde  
Plato citato loco has non corruptiones simpli-

citer, sed purgationes & expiations potius vocat : ὁτινὶς ἡ ἀνὴρ οἱ ὄμβροι, οἱ τὴν γῆν ὑδασι ναγάεσστες, παγηλύσωσιν &c. cum autem rursum imbræ, qui terram aquis purificant, diluuium inuexerint. Ad quem locum Proclus : ηγή γε καθαρίσσως οὐ μόνον γίνεται διὰ ὑδατος, οὐ δὲ Διὸς πυρος. fit enim lustratio per aquam, aut ignem. Non recte igitur Firmicus Διπονατάσσων simpliciter vocat eam renouationem quæ diluuium aut exustioni terrarum succedit; nisi forte hanc particularem apocatastasim dici placeat: est enim hoc nomen commune omni reuolutioni. Sola autem hæc proprie & simpliciter rerum Διπονατάσσως dici meretur, quæ fit cum, ut Cicero dicit, ad idem, vnde semel profecta sunt, cuncta astra redierint, eandemque cæli totius descriptionem longis interuallis retulerint. Quippe eadem cæli descriptione, iisdem stellarum motibus & configurationibus redditis, consequens putauerunt veteres illi naturæ interpretes, ut iudicem rerum euentus, bella, paces, cæteraque humana, non quidem numero sed specie & qualitate, restituerentur.

Quod autem Sibylla huiusmodi in primis rerum omnium redditum & instauracionem magnis temporum interuallis necessario euenire censuerit, & carmine inter alia præscita celebrauerit, fidem fecerit quarta Maronis ecloga; si verum est, huius argumentum a Sibyllæ Cumææ libris desumptum esse: quod sane Eusebius creditit

in

in oratione de laudibus Constantini, vbi hanc eclogam græce conuersam totam de Christi aduentu exponit. Cui nostri fere omnes theologi subscribunt. Nos, an quæ ibi Virgilius canit ad Christum pertineant, aut omnino Sibylla Christum verum & unicum hominum regem venturum prædixerit, infra videbimus. Illud interim concedi potest, multa Virgilium ibi mutuatum de Sibylla; cum id ipse præfari his verbis videatur:

*Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.*

Neque enim Valerio Probo assentior, qui ibi *carmen Cumæum* exponit, non Sibyllæ Cumææ, sed Hesiodi, quem etiam Cumis natum constat: propterea quod & ipse varias hominum ætates per metalla distinxit. Mihi verisimilius fit, Hesiodum a Sibylla hanc ætatum diuisionem sumpsisse, quam hanc ab Hesiodo: cum præser-tim & Seruius Grammaticorum doctissimus, & cæteri omnes, ibi Cumæum carmen Sibyllinum interpretentur. Ita igitur hanc eclogam Maronis, ut a Sibyllæ carmine expressam, legentes fa-teti necesse est; ab ea quoque profectam hanc de vniuersali rerum omnium humanaarum restitu-tione per statos & longissimos temporum circui-tus doctrinam: quam tam plane his versibus Poeta insinuet:

*Alter enim tum Tiphys, & altera quæ vebat  
Argo*

*Delectos heroas: erunt etiam altera bella,*  
T 2 Atque

Atque iterum ad Trojam magnus mittetur  
Achilles.

Ita etiam Seruius accipit, eiusque dogmatis auctorem Sibyllam haud obscure proponit verbis supra allatis, quæ denuo in medium reducenda sunt, ut res pateat: *Dixit etiam (Sibylla, de qua ibi loquitur) finitis omnibus seculis rursus eadem renouari. Quam rem etiam philosophi hac disputatione colligunt, dicentes: completo magno anno omnia sidera in ortus suos redire, & referri rursus eodem motu. Quod si est idem siderum motus, necesse est ut omnia quæ fuerunt habeant iterationem.* Tum porro idem hæc verba explicans: *alter erit tum Tiphys:* ex duabus interpretationibus quas proponit, posteriorem ipsammet quam sequimur priori præfert. *Specalia (inquit) pro generalibus ponit.* Nam per Tiphyn quemcumque gubernatorem accipimus: per Argo quamcumque nauem: per Trojam quamcumque ciuitatem: per Achillem quemcumque virum fortem. *Videtur tamen locus hic dictus per Διονυσίου, id est, per omnium rerum reuolubilitatem ex siderum ratione venientem,* ut diximus supra.

Hæc autem eo pertinent, ut omnes id quod dixi intelligent, mundanam fuisse vatem Sibyllam apud ethnicos: sicut Mosem apud Ebræos, & ex his fide oriundos Christianos: omnia scilicet tempora, & rerum humanarum vicissitudines

dines vaticinio complexam; cuius rei alia etiam argumenta adiungi possunt.

## CAPVT IV.

*Aliæ obseruationes, quibus Sibyllinæ diuinationis immensitas amplius declaratur.*

IN his est istud, quod a Populi Romani iudicio & singulari erga Sibyllam pietate & reuerentia ducitur, a Virgilio etiam notata in sexto, vbi Aeneam hæc Sibyllæ pollicentem inducit:

*Te quoque magna manent regnis penetralia nostris.*

*Hic ego namque tuas fortes, arcanaque fata  
Dicta mee genti ponam: lectosque sacrabo  
Alma viros &c.*

Nisi forte putamus, temere & casu factum, vt orbis domitor populus, qui iura aliis omnibus daturus esset, vnam præ aliis cunctis vatem Sibyllam eligeret, quam de arduis quibusque rebus & ad summam imperii pertinentibus consuleret, cuiusque ad oracula, vbi quis grauior metus incidisset, velut ad sacram ancoram configueret; ad id constitutis primæ nobilitatis viris quindecim, qui libros eius soli adire, & ex his quid agendum esset renunciare possent. Quæ religio tamdiu obtinuit quamdiu imperii Romani maiestas stetit. Nimirum qualis populus talis va-

tes. Romani terrarum domini: non igitur alia vate vti debuerunt quam Sibylla, cuius, vt dictum est, afflatus & vaticinium nullis temporum, locorum, aut euentuum finibus circumscriptum esset.

Dixi, non alia vti debuisse vate: quod non ita intelligi velim, quasi credam, alios vates non fuisse, quibus auscultarent; nam & vaticiniis clari apud Romanos Martii fratres extiterunt, quorum praescita studiose asseruabant; & Bergomes vtebantur Nymphæ libris, quæ artem scripserat fulguritarum, apud Tuscos, auctore Seruio, ad versus modo laudatos e sexto Æneid. Id volo, Sibyllam supra cæteros vates honoratam fuisse a Romanis, vt eximiam & diuina quadam sorte electam, quæ summa auctoritate Populo Romano sua fata aperiret, tum, quod ad religionem in primis pertinet, quibus sacrorum ritibus & ceremoniis aut grates diis agendæ essent; de prosperis rebus, aut placanda ira in aduersis, quibus denique prodigia sacris procuranda essent; de quibus paulo post dicendum erit.

Quod autem Romani tantum Sibyllæ oraculis tribuerunt, quis non causæ alicuius altioris destinationem agnoscat? siue Dei consilio id, siue dæmonis factum est: cum neque Athenienses, neque Lacedæmonii, neque alia vlla Græciæ ciuitas gensue, sic affecti erga vatem eam fuerint, vt hanc aliis omnibus diuinis præferendam, & in eius oraculis sciscitandis salutem sitam arbitrarentur:

tur: quod Populo Romano persuasum fuisse ex omnibus historiis constat; cum Græcis quidem popularis, ac, vt ita dicam, domestica esset Sibylla, apud eos nata & educata, earumdem literarum particeps, eodem sermone vaticinatur; Romanis autem externa & peregrina esset. Hoc qui non admiratur, & forte quadam diuiniore factum non videt, valde obtusi est ad res perspiciendas ingenii, hebetisque iudicii, qui tam manifesta discernere non valeat. Nihil enim mihi admirabilius videtur, quam feminam in Jonia, tam dissitis ab Italia oris, natam, ante Trojanum bellum, Romanis tanto ante tempore, vix dum fama cognitis, scripsisse oracula perpetua, quibus ad omnem rerum euentum feliciter vterentur. Quarum rerum quis aliam causam afferre possit, nisi quod Sibylla numinis, quo agebatur, instinctu fatalem ordinem sequebatur, quo Dei prouidentia aliarum gentium vires, per varios rerum humanarum euentus & reuoluciones, ad unam Romani imperii maiestatem & supremum apicem paulatim, ut supra ex Polybio afferebamus, ducebat? Sed quod ratio altius rerum ordinem intuentibus ostendit, ipsius Sibyllæ oraculis declaratum magis fidem inueniet, & vel inuitis extorquebit.

Est autem insigne istud, quo prædictit, fore ut e mari insula existat repente nunquam antea conspecta, quo tempore Romani victis Carthaginensibus bellum aduersus Philippum regem

Macedoniæ habebunt, atque omnes inter se gentes. Versus, quibus id prædictit, ex Plutarchi libro de Pythiæ oraculis referre operæ pretium est.

Αλλ' ὅπότε Τρωῶν γενεὰ καθύπερχε γένυται  
Φοινίκων ἐν αἰγῶνι, τότε ἔστελθε ἔργα ἀποιών.  
Πόντος μὴ λάμψει πᾶς ἄστετον, ἐκ δὲ κε-  
ραυνῶν

Πρεστῆρες μὲν ἄνω Δέλφηνος αἴγαστοι,  
Αμμιγεῖσι σὺν πέργα, οὐ δὲ σπείζεται αὐτός,  
Οὐ Φατὸς ἀνθερώποις νῆσος, ηὔχειρες ἀνδρες  
Χερσὸν Εισούμενοι τὸν ιρείασονα νησίστον.

quæ sic Xylander vertit:

*Sed quando Pænos vincet Troiana propago,  
Tunc incredibiles mortalibus euenient res.  
Immensa canum fulgebit tunc mare flamma,  
Fulminaque ardentes per cœrula vasta procellas  
Torquebunt, saxumque simul: quod & insula  
stabit*

*Firma loco, nullique hominum de nomine nota.  
Tunc quoque præstantem superabunt deteriores  
Vi propria freti, atque inuictæ robore dextre.*

Sunt autem in primis notanda quæ ibi Plutar-  
chus ad eius oraculi declarationem affert, quæ  
proinde ipsius verbis subiungere placet: τὸ γδ  
ἐν ὁλίγῳ χερσῷ Ρωμαίος τε Καρχηδονίων περιγε-  
νέσθη παταπολεμήσαντες Αντίσαι, καὶ Φιλιππον  
Αιτωλοῖς συμβαλόντα, καὶ Ρωμαίοις μαχη περ-  
τηθῆναι, καὶ τέλος ἐκ Ευρώπης νῆσου ἀναδύναι μῆ-  
πιερῆς πολλὰς καὶ κλύδωνος ἀπιέσαντος, εἰπό-

ἔποις τις ὡς ἀπίντησεν ἄμα πάντα, καὶ συνέπεσε  
 καὶ τύχην ἀντομάτως, ἀλλὰ η τάξις ἐμφάνισε  
 τὴν περίγραμσιν. καὶ τὸ Ρωμαῖς πορθὲν ἔτῶν ὅμοι  
 πεντακοσιῶν περιπέτειν τὸν χερόν, σὺ ὡς ἀπαντᾷ  
 τὰ ἔθνη πολεμήσοιεν ἄμα τούτο ἢ οὐ τὸ πο-  
 λεμῆσαι τοῖς δικέταις διοστᾶσιν. id est, *Quod*  
 enim *Romani breui temporis spatio Carthaginenses*  
 subegerunt debellato Annibale, & ab iisdem ac  
 Aetolis Philippus prælio vicitur est, ac tandem e  
 profundo insula erupit cum multo igne & undis  
 ebullientibus: *hac nemo dicere potest simul omnia*  
*fortuito casu euenisse*, sed ordo prædictionem in-  
 dicat. *Vt & hoc, quod Romanis ante annos fere*  
*quingentos prædictum est tempus*, quo bellum ad-  
 uersus omnes simul nationes gesturi essent: *quod*  
*factum est bello aduersus rebellēs seruos suscepto*.  
 En quam stupenda attingit Sibylla e longinquō  
 de Romanis, & bello quod iis fuit cum Pœnīs;  
 tum euersa ab iisdem Carthagine; item de pro-  
 digiis quæ post euenerū; ad summum de serui-  
 libello; & quod in primis notandum, quod  
 eodem tempore ἀπαντᾷ τὰ ἔθνη πολεμήσοντα  
 ἄμα, inquit Plutarchus, hoc est, omnes inter se  
 gentes bello dimicaturæ essent. Quod supra a  
 Polybio obseruatum recitabamus. Quo nihil  
 in historia admirabilius contemplanti videri  
 potest; & eidens vigentis in his quoque per-  
 pplexis, & quæ fortuita vulgo censentur, numi-  
 nis & prouidentiæ argumentum est. Præuisum  
 tamen hoc a Sibylla Plutarchus testatur, qui car-

men eius integrum legerat; cuius nobis miserae reliquiae huc illuc per auctorum veterum tractatus dispersae & fragmenta restant, ac ne illa quidem sincera, sed alienis maleficiatorum hominum fraude interpolata, ut quid genuinum, quid adscitum & nothum, vix discernipossit.

Non minus miranda quæ idem auctor paulo ante eadem charta dat Sibyllæ vaticinia alia, de prodigiis quibusdam posterius visis circa Cumas & Puteolos, contentus attingere suis verbis, cum vaticinia illa suo tempore extarent, nec Sibyllæ esse quisquam dubitaret. ταῦτα δὲ τὰ περέφθατα καὶ νέα πάλιν ὥστε τε Κύμην καὶ Δικαιοχίαν, ἐχόντας ὑπονόμενα πάλαι καὶ ἀδόμενα Διὸς τῶν Σιβυλλέων ὁ χρόνος ὥστε εργάσεις οὐείλων διποδεδώκεν. ἐπεξήγεις πυρὸς ὄρεις, καὶ ζέσεις θαλασσαῖς, καὶ πετρῶν καὶ φλεγμονῶν ταῦτα πνεύματος ἀναρρίψεις, καὶ φθορὰς πόλεων, ἀμφὶ τοστῶν καὶ τηλικτῶν, ὡς μεθ' ἡμέραν ἐπελθόντι, ἄγνοιαν εἶναι καὶ ἀστιφείαν, ὅπτε πατούμηντο τῆς χώρας συγκεχυμένης. ταῦτα γὰρ εἰ γέγονε πενθαται χαλεπόν δῆ, μή τοι γε περιπτεῖν ἄνευ θεοτητος. id est, Hec vero quæ recens apud Cumas & Puteolos acciderunt, nonne pridem Sibyllinis decantata carminibus tempus velut debitor persoluit? Eruptionem, inquam, montani ignis, feroarem maris, saxonum & massarum flagrantium vento explosa tormenta, tot tantarumque urbium intericuum; vi hodie qui ealoca accedunt, ubinam condite fuerint discernere prorsus non possint,

possint. Quod enim hæc omnino acciderint, difficile est credere, nedum prædicti potuisse, absque numinis afflatu. Hæc ibi ex Sibyllæ carmine assert Plutarchus, sane digna in quorum consideratione sistamus gradum, cum propter rerum dignitatem, tum propter ipsam vatem, cuius diuinationis præstantia & vniuersalitas ex his clare admodum intelligitur.

## CAPVT V.

### Vaticinia supra ex Plutarcho allata explicantur.

**P**RIMUM illa consideremus de insulæ ortu prædicta his verbis :

ἢ δὲ σημεῖξεται αὐτοῖς

Ou Φατὸς ἀνθρώποις νήσος.

Quæ sic Plutarchus explicat: καὶ τὰ ὡς τῆς νήσου πάλιν, ἢν αὐτῆς εἰς τὸ Θέρεα καὶ Θερασίας θύλασσα. Latinus interpres ita vertit: Et illud de insula, quam ante Theram & Therasiam edidit mare. Amiotus autem noster sic: Et puis l' oracle qui fut donné de l' ifle que produisit la mer la, ou est aujourdhuuy Thera & Therasia. Neuter fatis commode. Sic oportuit: Tum oracula de insula, quam mare, quod est ante Theram & Therasiam, sursum protulit. Nempe illud mare quod est supra eas insulas versus septentrionem, unde pontus supra Ægæum mare

incum-

incumbit. Hanc insulam tunc recens magno turbinum sonitu & flammarum e mari erumpentium terrore enatam neque vates neque Plutarchus nominant, ceu nomen ei nullum indicatum fuerit : & Φατος ανθεπωνις νησος. Attamen ex loco & tempore, quibus emersisse dicitur, nempe circa bellum quod Romani aduersus Philippum regem Macedonum gesserunt, hanc ipsam esse colligo quam Plinius *Automaten & Hieram* vocat, Orosius *Vulcani insulam*. Plinii verba haec sunt lib. 2. cap. 87. *Inter Cycladas Olympiadis CXXXV anno quarto, Thera & Therasia* (supple *enatae*). *Inter easdem post annos CXXX Hiera, eademque Automate.* Rursus lib. 4. cap. 12. *Thera, cum primum emersisset, Calliste dicta : ex ea auulsa postea Therasia : atque inter duas enata mox Automate, eadem Hieram.* Subdit mox : & in nostro aeuo, Thia iuxta eandem Hieram nata. Obiter mendum a nemine animaduersum auferam e textu Plinii. Quippe enatam mox Automaten, quae Hiera eadem est, post Therasiam e Thera auulsam ; cum praecedente loco, non nisi post annos triginta & centum inter duas illas insulas enata Automate siue Hiera dicatur. Quare non *mox*, sed *post* legendum ibi esse res ipsa indicat : alioqui esset pugnantia in verbis Plinii.

Quo autem tempore prodigiosa haec emerserit insula, & Plutarchus ibi, & Justinus lib. 30. cap. 4. ubi de rebus illius temporis, quo bel-

lum

ium Romanos inter & Philippum Macedonum regem agitabatur, tradit. *Eodem* (inquit) anno inter insulas Theram & Therasiam, (ita enim legendum; non ut in excusis codicibus, Theramenem & Therasiam) medio utriusque ripe & maris spatio, terre motus fuit. In quo, cum admiratione nauigantium, repente ex profundo cum calidis aquis insula emersit. De eadem insula accipiens & Senecæ locus in 2. Natur. Quæst. cap. 26. *Cum maiorum nostrorum memoria,* ut Posidonius tradit, insula in Ægeo mari surgeret, spumabat interdiu mare, & fumus ex alto ferebatur. Quibus ex locis patet, falli auctorem nuperum relationis de insula nunc vulgo Sant-Erini appellata, hoc est, Thera: cum eam insulam, quam Automaten & Hieram dictam fuisse ex Plinio ostendimus; cœpisse anno a Christi aduentu duodecimo emergere, inter Theram scilicet & Therasiam, prodit. Quomodo enim post Christum, quam Seneca maiorum suorum ætate enatam testetur; Justinus eodem anno quo Romanis bellum cum Philippo erat?

Quod spectat ad alias clades, quas idem Plutarchus recentes vocat, nempe non multum ab ea ætate qua scribebat remotas: facile ex iis quæ ibi memorat intelligi potest, eum loqui de memorabili illa ignium eruptione e monte Vesuvio, qua Plinium magnum vna cum multis Campaniæ vrbibus consumptum auctore Plinio altero, eius nepote, constat, qui eius cladis historiam

riam in quadam ad Tacitum epistola describit. Fuit enim Plutarchus Pliniis suppar : nempe Domitiani, vel etiam supra, principatu viuens, Traiano etiam rerum potente celebris , cuius præceptor fuit: vt quæ Plinii tempore acciderunt, πέσσφατα καὶ νέα πάγη, hoc est , casus recentes & nouos non immerito appellat; atque etiam eos qui sub Tiberio extiterunt, si sequentium principum breve æuum spectemus. Igitur ἐκρήξεις πυρὸς ὥστε eruptiones montani ignis de Vesuui incendio illo accipi debere palam est: ζέσεις autem θυλασίας maris feruores lapidumque tormento ignium ciaculationes ad Thiaë insulæ, cuius modo mentio facta est, ortum referto: Φθορὰς πόλεων urbium funera hiatu terræ hauistarum, nullo superstite vestigio, ad Pompeios non obscurum Campaniæ oppidum Neronis temporibus hoc modo abolitum. De qua horrenda calamitate videndus Seneca, qui eam lib. 6. Natur. Quæst. accuratissime deserbit. His addi possunt Asiae vrbes duodecim; Tiberii ætate motu terræ noctis vnius mora prostratae. Quos casus omnes tanto ante tempore a Sibylla fuisse prædictos ex his Plutarchi locis discimus.

Sed nos talia e veterum scriptorum monumentis vaticinia eruentes Scaliger, vir magnus, Animaduersionibus ad Eusebium inanis operæ arguit, reuocatque ab inutili labore ; admonens, haec a Græculis otiosas fuisse conficta &

pro

pro Sibyllinis obtrusa. Hæc quam facile dicuntur, tam prompte refelli possunt. Non longa mihi erit cum Scaligero & aliis eiusdem opinionis alteratio. Quæram solum, putente aliquam olim fuisse vatem quæ Sibylla diceretur? Non arbitror aliquem tam perfictæ esse frontis, vt id neget, quod tanto scriptorum omnium consensu proditum est. Si talis vates extitit, Sibyllæ nomine omnibus nota: neceſſe est, aliqua eius fuisse vaticinia; quomodo enim vates diceretur, cuius nulla extitissent vaticinia? Velim igitur mihi explicit, qua conjectura, quo indicio possim vera a fictis discernere? Magisne in his oculati & perspicaces, quam Heraclitus, quam Plato, quam Plutarchus, quam Pausanias, & alii iudicio & eruditione præstantissimi scriptores, nobis pro veris Sibyllæ oraculis legenda proposuerunt? Me quidem non agnosco esse tam astutum neque tam callidum. In his, vt in aliis longe a nostro sensu & prouidentia remotis, veterum testimonia libenter sequor, quodque maximi in talibus momenti arbitror, consentientem sapientum auctoritatem, vbi præsertim nullam idoneam video rationem qua infringi possit. Quod enim video obiici posse, vnicumque censuræ illius tam inclementis fundamentum esse videtur; folius esse Dei illuminare hominum mentes ad peruidenda rerum futurarum arcana; non esse autem credibile, feminam dæmonum cultui manci-

mancipatam tali munere dignatam fuisse ; illa quæ nomine illius vaticinia circumferuntur , eiusmodi esse , vt si multo ante rerum euentus edita credantur , non potuerint aliunde nisi ab ipsa æternitate demitti , quod a femina ethnica omnino alienum censem : id ergo relinqu , vt posterius ab otiosis hominibus conficta credantur ; hoc inquam , inualidum esse funda-  
mentum infra ostendam.

Hæc non ita dico , quod pertendam , omnia quæ Sibyllæ adscribuntur genuina illius esse ef-  
fata ; absit ; id volo , cum in hoc genere mul-  
ta veris falsa inserta ac supposita esse constet ,  
acerrimo opus esse iudicio ad constituendam  
aliquam rationem quam sequi debeamus , ne te-  
mere quæ sunt genuina explodamus , ficta am-  
pleteamur . Hæc autem ex Plutarcho afferre  
visum est tum propter tanti scriptoris auctori-  
tatem , tum quia ex his appareat , nullam in  
rebus humanis maioris momenti accidisse mu-  
tationem , quam non longe ante in conspectu  
habuerit . Quod euidentius adhuc ex his quæ  
sum dicturus patebit .

## CAPVT VI.

*Alia Sibyllinae diuinationis proprietas  
apertius declaratur.*

**S**unt alia apud antiquos auctores Sibyllæ ora-  
cula , suo cuique studio & industria obser-  
uanda ;

uanda ; vel potius legenda apud eos , qui pri-  
dem in his colligendis diligentiam suam osten-  
dere voluerunt . Cæterum ex iis , quæ modo  
ex Plutarcho exposui , intelligi potest , qualis fue-  
rit character Sibyllinæ diuinationis . Hæc enim  
aut tota aut ex parte versata est in prodigiis ,  
quæ quoque tempore euentura essent , notandis ,  
tum explanandis sacrorum ritibus , quibus pla-  
canda ex his impendens deorum ira , clades  
auertendæ essent . Clarum id ex Romanæ hi-  
storiæ monumentis , & scriptoribus eius gentis :  
quorum aliquot loca & prompta ex iis exempla  
subiungere haud abs re fuerit . Terentius qui-  
dem Varro in præfatione librorum de re rustica  
testatur his verbis ; supra quidem libro primo  
huius tractationis a me allatis , & denuo hic re-  
citandis : *Neque patiar Sibyllam non solum ceci-  
nisse quæ , dum viueret , prodeßent hominibus , sed  
etiam quæ cum perifset ipsa ; & id etiam ignotissimis  
quoque hominibus . Ad cuius libros tot annis post  
publice solemus redire , cum desideramus quid fa-  
ciendum sit nobis ex aliquo portento : me ne dum  
vivo quidem , necessariis meis quod profit , facere .*  
Et hoc quidem de causa , propter quam adiri so-  
leret ad Sibyllæ libros , obiter & in transcurso  
Varro , non tamen sine magna auctoritate .

Cicero ex professo & copiose idem in primo  
de diuinatione ostendit . Quo loco & respon-  
sa aruspicum cum Sibyllæ versibus congruisse  
testatur ; idque non in vno tantum prodigio , sed

in omnibus, quæ quodam tempore accidissent. Locum eum omnino adscribendum censui: est enim notatu dignus & magni in primis ad hanc rem momenti: *Ad nostra iam redeo. Quoties Senatus decemuiros ad libros ire iussit?* Hic primum obserua, ut *libros* simpliciter appellat, quibus Sibyllæ vaticinia continebantur: quo pacto nos Biblia vocamus, quibus totius religionis nostræ & diuinæ sapientiæ arcana traduntur. Sed reliqua videamus. *Nam & cum duos visi soles essent, & cum tres luna, & cum faces, & cum sol nocte visus esset, & cum ex cælo fremitus auditus, & cum cælum discessisse visum est, atque in eo animaduersi globi.* Delata etiam ad Senatum labes agri Priuernatis, cum ad infinitam altitudinem terra discessisset, Apuliaque maximis terre motibus conquassata esset: quibus portentis magna populo Romano bella, pernicioseque seditiones denunciabantur. *In que his omnibus responfa aruspicum cum Sibyllæ versibus congruebant.* Eodem loco post aliorum prodigiorum enumerationem subdit: *Nonne & aruspices ea responderunt, que euenerunt; & in Sibyllæ libris reperitæ eadem prædictiones sunt?*

His locis manifestum fit id quod dixi, de ratione & conditione Sibyllinæ vaticinationis; hanc scilicet in iis ipsis versatam, de quibus aruspices respondere solerent. Quod autem mos esset, si quæ prodigia & ostenta visa alicubi essent, ire ad aruspices, sciscitari eorum sententiam

tiam de iis portentis, quid agendum esset, quibus sacris procurari deberent, tot apud auctores loca extant, quibus id demonstrari potest, ut vanum mihi videatur in re manifesta diligentiam velle ostendere. Pergamus igitur, & quod propositum est aliorum auctorum non minus grauium testimoniis confirmetur. Ita igitur Plinius lib. 7. cap. 25. *Subsedit in Cumano arbor gravi ostento, paulo ante Pompeii Magni bella ciuilia paucis ramis eminentibus. Inuentum Sibyllinis libris, internectionem horinum fore, tantoque eam maiorem, quanto propius ab urbe post ea facta esset.* Et lib. 11. cap. 29. vbi de locustarum maleficio agit: *Italianam (inquit) ex Africa maxime coortae infestant, saepe populo ad Sibyllina coacto remedia configere inopie metu.* Vbi Sibyllina remedia appellat præcepta in iis libris scripta de iis, quæ ad placandam deorum iram, talibus inuisitatis signis denunciatam, fieri deberent. Nec dubium quin & fames inter portenta, ut ibi, referri debeat. Ita quidem & Julius Obsequens in libro de prodigiis cap. 60. accepit: *Ex Sibyllinis supplicatum cum sex mensibus non pluisset.* Præterea cap. 72. *Pestilentia fameque ita laboratum, ut ex Sibyllinis populus circa compita facellaque operatus federit.* Idem de aliis prodigiis cap. 42. *Crebro de caelo lapidatum est: lectis igitur Sibyllinis, inuentum est, tunc demum hostem alienigenam, qui terræ Italiae bellum intulisset, pelli Italia posse, si Ideamater*

ex Pessinunte Romam adueberetur. Idem obseruare licet in Taciti annalibus lib. 15. vbi de incendio vrbis : *Mox petit (Nero) a diis piacula, aditique Sibyllæ libri, ex quibus supplicatum Vulcano & Cereri Proserpinæque, ac propitiata Juno per matronas, primum in capitotio, deinde apud proximum mare.* Nec minus confirmant, quæ ex veterum monumentis refert Lactantius lib. 2. de origine erroris cap. 4. *Dennique Gracchanis temporibus, turbata republica & seditionibus & ostentis, cum repertum esset in carminibus Sibyllinis, antiquissimam Cererem debere placari, legati sunt Ennam missi.* Vnum addam ex Liuio & Plutarcho, ex quo maxime intelligi potest, non modo quibus de rebus potissimum Sibylla, sed & quali afflata genio vaticinaretur. Verba Liuii hæc sunt lib. 2. Decade 3. *In negotio Vestarium, quarum duæ stupri compertæ fuerunt, cum id facinus in prodigium versum esset, decemuiri libros adire iussi sunt.* Et Q. Fabius Pictor Delphos ad oraculum missus est, sciscitatum quibus precibus supplicationibusque deos possent placare, & quænam futura finis tantis cladibus foret. Interim ex fatalibus libris sacrificia aliquot extraordinaria facta : inter quæ Gallus & Galla, Græcus & Græca, in foro boario sub terram viui demissi sunt in locum saxo conserptum, ibi ante hostiis humanis minime Romano sacro imbutum.

Meminit & Plutarchus in problematis Romanis nefariæ huius superstitionis & cruenti sacri,

non

non sine graui Romanorum censura, qui id facere sustinuissent, quod in aliis gentibus palam, ut par est, damnarent, atque etiam in Bletone-  
siis vindicandum censuissent. τῆς δὲ πράξεως  
δενῆς Φανέσις, ἔδοξεν ἀναργεῖσθε τὰ Σιβύλλεια  
τὸς ιερεῖς ἐνρεθῆναι δέ Φασι χερσυμάς ταῦτα  
τε ὡροδηλώντας ἄλλονότοις τοῖσι δάίμοσι νοῆ  
ζένοις, Δωτρεοπής ἐνεκα τὸ Πτιόντος ὡροδηλῷ δύο  
μὲν Ελληνας, δύο δὲ Γαλάτας ζῶντας ἀντόθι πατο-  
γεγένηται. id est, *Quod enim indignum facinus*  
*visum esset, placuit ut sacerdotes libros Sibyllinos*  
*consulerent.* In his vero reperta aiunt oracula,  
quibus cum eadem prædicerentur, ut in pernici-  
em censura: tum quæ iuberent duos homines  
Grecos & totidem Gallos extraneis deuouere nu-  
minibus & peregrinis demonibus, mali auerrun-  
candi causa. Quo sane vel vno exemplo patet,  
non recte iudicasse beatum Augustinum, cum  
lib. 18. de ciuitate Dei cap. 23. Sibyllam Ery-  
thræam siue Cumanam nihil in toto carmine  
suo habere censet, quod ad falsorum deorum  
cultum pertineat. Quod post loca allata a no-  
bis de iis, quæ Sibylla facienda præcipiteret, si in  
dubium vocari posset, plenam fidem acciperet  
hisce locis Plinii ita prodentis lib. 7. cap. 35. de  
Sulpitia Paterculi filia, vxore Q. Fulvii Flacci:  
electa (inquit) ex centum præcipuis, quæ simula-  
crum Veneris ex Sibyllinis libris dedicaret. Quod  
ipsum & Valerius Maximus confirmat lib. 8.  
cap. 16. Sed & altero eiusdem loco lib. 14.

cap. 29. de prisorum Romanorum observatio-  
ne : *Iidem Floralia IV. Cal. eiusdem* (mensis  
Maii) *instituerunt Vrbis anno quingentesimo sexto*  
*decimo, ex oraculis Sibyllæ, vt omnia bene de-*  
*florescerent.* Ne quid vñquam esset vacuum su-  
perstitione in natura, ac solis ipsius cursum  
vimque terræ & benignitatem festorum insania  
Sibyllæ oraculo traheret. Quid plura? Vrbes  
etiam quibusdam locis Sibyllæ monitu condi-  
tæ. Auctor idem Plinius lib. 3. cap. 17. *Op-*  
*pidum Eporedia Sibyllinis libris a populo Romano*  
*condi iussum.* Sed de his satis.

Hæc autem afferre visum est, vt intelligatur,  
qualis Sibyllæ diuinatio fuerit, quidue ipsa ab  
aliis vatibus differret. Apparet enim non vnius  
nationis fuisse Sibyllam, sed omnium, & plane  
mundanam : præterea non simpliciter prædi-  
xisse, quæ euentura essent, sed quatenus significa-  
ta prodigiis & terroribus ; cum perpetuo ad  
vnumquemque euentum quid portenderet ma-  
li, & quibus sacris dii propitiandi essent, dice-  
ret, hocque modo magis ac magis supersticio-  
nem confirmaret : vt non immerito Casaubo-  
nus exercitat. XI. ad apparat. Annal. Baronii  
Num. 20. scripsit : *Nihil unquam ex illis li-*  
*bris (Sibyllinis) prolatum, quo gentium error &*  
*ille insanus demonum cultus non confirma-*  
*retur, aut etiam noua accessione impie-*  
*tatis non augeretur.*

## CAPVT VII.

*An, quæ Sibyllæ nomine ferebantur,  
oracula a quibusdam impostoribus  
in occulto scriberentur, & pro  
oraculis deinde populis ob-  
truderentur.*

Hoc etiam argumento intelligi potest, non fuisse hæc, quæ pro Sibyllinis proponerentur populis, omnia quorumdam fraude conficta, vt Scaligero supra laudato & aliis visum est. Quis credat, alicui homini in mentem venire posse, vt si oracula fingere velit, sic illa componat, vt homines insontes virginesque & pueros singulari, aut viuos terræ infodi reipublicæ causa præcipiat? vt cuiquam, nullo odio impulsus, tam horrendæ in proprium genus crudelitatis auctor esse velit? Quam sæpe vatum monitu cæfæ sint humanæ hostiæ, historiarum veterum monumenta fidem faciunt. Res adeo nota, vt exempla superfluum putem referre. Noti sunt Lucretii Epicurei versus, quibus religionem ob hæc sacra infanda, vt scelerum auctorem, impugnat:

*quin contra sepius olim*

*Rellgio peperit scelerosa atque impia facta.*

*Aulide quo pacto Trivialis virginis aram*

*Iphianasseo turparunt sanguine fæde,*

*Ductores Danaum &c.*

Sed & talium exempla olim in scholis rhetorum vulgata & declamationibus celebrata fuisse ex Petronio discimus, vbi de umbraticis illis declinatorum nugis agit: in quibus & *responſa* commemorat *in pefilentiam data*, ut *virgines tres aut plures immolentur* &c. Hæc profecto immanitas in hominem non cadit, nisi a cacodæmone afflatum; neque ipſe Plutarchus negare potuit, confessus in sylloge Quæſtionum Romanarum, eiusmodi oraculorum auctores fuisse dæmones, non quoslibet, sed ἀλλονότες ή ξένες, hoc est, *alienos a nobis & peregrinos*. Ex quo efficitur, Sibyllam quoque ipsam, cuius similia responſa feruntur, non humano consilio, sed dæmonis infensi hominibus afflatu concitatam talia scripsisse. Præterea, qui potuissent fictis tam certo respondere euenta rerum? Quod enim, qui hæc ficta volunt, oraculorum ambiguitatem causantur, rem tam veris quam fictis oraculis communem afferunt. Cæterum non omnibus ea fuit ambiguitas, ut quo spectarent non rebus postea manifestis palam fieret. In oraculo quod Græcis datum bello Persico, quo iussi Athenienses ligneis muris urbem munire, perplexitas incessit, qui muri lignei intelligi deberent. Aliis alia cogitantibus, solus Themistocles verum oraculi sensum perspexit. Num igitur propterea putandum est, confictum id oraculum fuisse Themistoclis consilio, ac Delphis pronunciatum a Pythia ex compacto? Nemo quidem dixit  
hacte-

hactenus; sed fieri non potuisse intelliget, qui historiæ illius momenta omnia sedulo expendet. Tum ex aliis responsis certo demonstrari potest: quæ cum multa sint, diligentius perquirere atque expendere non est præsentis temporis. Solum, quod maxime negotium facit & multorum incredulitatis fundamentum esse arbitror, expendam ac remouere conabor. Nempe vnius Dei, qui ut omnium auctor & principium, omnium, quæ sunt, rationes in sua æternitate continet, munus singulare esse scientiam futurorum dicunt. Quod igitur Dei proprium, qui fieri potest ut Dei hostes dæmones suis cultoribus conferant? Neque enim iis innata eiusmodi scientia esse potest, quam Dei esse propriam omnes fatentur; neque Dei munere iisdem tribui, qui, ut ait Judas Apostolus, non seruauerunt principatum suum, quos Deus in iudicium magni diei vinculis æternis sub caligine reseruat. Quod autem aliquis non habet, quomodo aliis largiatur? Hæc nisi fallor præcipua est ratio derogandi fidem Sibyllinis, & aliis priscorum vatum responsis.

Sed qui sic disputant, non satis considerant eminentiam & amplitudinem virtutis diuinæ, quæ tanta est ut nullam non partem vniuersi attingat, moueat, gubernet, modo congruenti. Non enim, ut multa sunt finitæ rerum creatarum virtuti inuia, sic diuinæ; sed hæc, ut omnium domina, nihil abs se omnino alienum

esse voluit. Itaque ne ipsa quidem damnatorum spirituum natura ita est a Deo aliena, ut nihil diuini luminis & sapientiae ad eos unquam perueniat. Sunt sane cacodæmones ejusdem cum angelis sanctis naturæ participes, nihil ab iis quod naturam attinet differentes. Proinde ut illi ex proprii gradus nobilitate luminis semper diuino patent, ad nonnullas de futuris, prout Deo visum est, excipiendas notiones, quas hominibus tradant: sic & mali dæmones nonnullis afflari interdum eiusdem veritatis supremæ radiis, ad quædam præscindenda futurorum contingentium, mirandum non est: cum id naturæ eorum gradus & rerum ordo postulet. Estque hæc consideratio satis consentanea iis quæ habet beatus doctor Thomas Aquinas in secunda secundæ partis quest. 172. artic. 5. & 6. *Supra intellectum humanum est non solum intellectus diuinus, sed etiam intellectus angelorum bonorum & malorum secundum naturæ ordinem.* Et ideo quædam cognoscunt dæmones etiam sua naturali cognitione, que sunt remota ab hominum cognitione, que possunt hominibus reuelare. Quod postquam de naturali eorum cognitione proposuit, deinceps de ea quæ iisdem ex diuina reuelatione, aut beatorum angelorum illustratione, circa res futuras contingit, sequenti articulo in hunc modum sciscit: *Deus utitur etiam malis ad utilitatem bonorum: unde & per prophetas demonum aliqua vera prænunciavit;*

tum

tum ut credibilior fiat veritas, quæ etiam ex aduersariis testimonium habet; tum etiam quia cum homines talia credunt, per eorum dicta magis ad veritatem inducuntur. Vnde etiam Sybylla multa vera prædixerunt de Christo. Sed etiam quando prophetae dæmonum a dæmonibus instruuntur, aliqua vera prædicunt: quandoque quidem virtute propriæ naturæ, cuius actor est Spiritus Sanctus; quandoque etiam reuelatione bonorum spirituum. Et sic etiam verum, quod dæmones enunciant, a Spiritu Sancto est. Hæc eo loco diuinus ille magister, quem in iis quæ ad contemplationem attinent, merito coryphæum & scholæ angelum dici, & semper venerandum censco.

Cur autem ab angelis beatis, vel etiam Spiritu sancto dæmones interdum fiant compotes veritatis de futuris contingentibus, aliquam oportet esse rationem, quam beatus ille doctor non declarat, neque is quem testem citat Augustinus, theologorum aquila. Dæmonem post primi hominis lapsum vniuersi generis humani imperium usurpasse, omniumque qui exinde in ortum venerunt rectorem & dominum se gesisse, extra controversiam est: cum Scriptura id palam testetur, hocquæ fundamento religio nitatur. Justum enim est regnum eius cui se multi sponte submittunt. Quod Adamum fecisse legimus, cum dæmoni auscultans dictisque eius potius quam Dei credens, fidei eius se vltro

commisit. Quo pacto in eius potestatem incidit , presusque est eius tyrannide , a qua non potuit liberari nisi per Christum : qui hac causa hominis naturam sumpsit , vt posset mori pro homine : quod & fecit ; & iniuria occisus dæmonis impulsu & fraude , cui increduli Judæi ministrabant , cum esset innocentissimus , damnato expulsoque diabolo , ipse a morte , quam non merebatur , resurrexit , tum cæteris hominibus sibi fide in unum corpus adiunctis similem redditum & immortalitatem absterfa delictorum labore commeruit. Ad eum igitur diem , quo passus est pro hominibus Christus , supremam in hominis potestatem dæmon exercuit ; eos scilicet qui Deum ignorabant , & in tenebris antiquis versantes quo se conferrent , quidue spei hominibus relictum esset , nesciebant : quam omnium gentium a mundi exordio usque ad Christi aduentum conditionem fuisse constat.

Hincque est quod Christus bis in Johannis euangelio diabolum *principem huius mundi* vocat ; & Apostolus *rectores barum tenebrarum* dæmones appellat. Cum ergo earum gentium diabolus princeps dominusque esset , consequens fuit , vt nihil illi deesset earum rerum , quæ viderentur necessariæ ad regnum tuerendum , quod in homines adeptus fuisset. In his vel præcipuam fuisse aio aliquam cognitionem futurorum contingentium : vt pote qua maxime opinio-

opinionem diuinitatis apud omnes consequi posset. Est enim communis hæc hominum persuasio, propriam esse Dei hanc cognitionem; quod constat experientia, neminem scire posse suopte ingenio & prudentia, quid sibi impendeat boni vel mali, aut aliis, in futuro tempore. Hinc igitur est, quod tot priscis seculis dæmon vates tot loca oraculis famosa habuit. Nimirum intellexit, quanti hæc reuelatio futurorum momenti esset allatura ad fidem gentilibus diuinitatis suæ faciendam; quæ nisi crederetur, non erat cur templa illi & aras homines dicarent, cur eum colerent, illi immolarent, & reliqua cultus diuini exhiberent.

Hanc igitur scientiam futurorum sibi semper arrogauit superbissimus dæmon, tum eius se esse compotem variis artibus persuadere hominibus studuit; partim quæ futura essent incredibili illa, qua pollet, sagacitate coniiciens; partim inuoluens ambagibus verborum, ne, quamcumque in partem euentus cessisset, mendacii redargui posset. Verumtamen in his multa vidisse ac prædixisse vera, Deo concedente, cum historiarum monumenta fidem faciunt, tum rerum ordo, quem Deus in omnibus constituit, demonstrat. Vnde enim tam certa dæmon de futuro prænunciare potuisset, nisi Deus illi etiam adesset? Hoc igitur ea, quam dixi, ratione factum putandum est, ne quicquam eorum,

rum, quæ dæmonis regno conuenient, a Deo contra ordinem rerum & consequentiam dene-  
gatum viderent. Quæ est autem hæc conse-  
quentia? Ut hominis primi facinus non in ipso  
tantum, sed etiam in maxima hominum parte  
vindicaretur. Quid enim iustius fieri potuit,  
quam id iugum ferre hominem, quod sibi arbi-  
trio proprio imposuisset? Hac igitur ratione  
probe intellecta cessat omnis scrupulus,appa-  
retque non esse alienum a dæmone, hunc de  
quibusdam futuris contingentibus, Deo con-  
cedente, certa oracula promere: cum quædam il-  
li diuinitus concessa olim fuisse in sacris libris le-  
gamus; ut virum sanctum Job iis infortuniis ma-  
ctare quæ in volumine nomine eius conscripto  
legimus: item transire in porcos & totum gre-  
gem fluctibus mergere, ut illi concessum fuisse in  
Euangelio legimus: immo vero, quod omnem  
superat audaciam, ipsum Dei filium rapere in  
templi Jerosolymitani fastigium, atque inde  
in montem excelsum. Quæ & alia non minus  
stupenda cum Deum cacodæmoni annuisse le-  
gamus, cur quorumdam, quæ euentura essent,  
concessam illi aliquando scientiam negemus, in  
pœnam eorum, qui prauissimis opinionibus at-  
que omni vitiorum colluvie corrupti talis ser-  
uitutis iugum merebantur, ut magis ac magis  
erroribus implicarentur? Non magis profecto  
mirum videri debet, Deum reuelare malis ge-  
niis aliquid rerum futurarum, quam eius pote-  
stati

stati tot nationes florentissimas tam longo seculorum decursu permittere, numinis titulo atque auctoritate regendas; quod esse factum, & nunc fieri in maxima orbis parte, certissima literarum monumenta & recentes historiæ testantur.

Quod cum mecum attentius reperio, satismirari non possum, Patrum nonnullos tantum laboris sumere insuis disputationibus contra gentes, ut probent, nihil Apollinem vidisse de futuris euensis, ac dæmonum oracula omnia falsa fuisse, vel certe quibus rerum exitus respondisset, fortuito & casu quodam id accidisse. Ita quidem Theodoritum Cyri episcopum in erudito opere quod curationem Græcarum affectionum appellat, æstuantem videmus in re minime necessaria, dum oraculis antiquis omnem fidem abrogare conatur: ceu in hoc Christianæ religionis prora & puppis, quod aiunt, versetur, si oracula illa omnia falsa fuisse probentur. Quem inanem esse metum abunde supra ostendimus. Neque porro ad rem pertinet, quod idem Theodoritus obiicit, de falsitate oraculorum. Neque enim pertendimus, semper dæmonem vera dicere, cum sit mendax, præsertim de futuris; sed hoc volumus, non illi esse negatum verum aliquando dicere; prout illi Deus tribuit vera loqui, cum de præsentibus occultis, tum de futuris quæ ex illo homines sciscitantur. Quod autem id tenentes ne latum quidem digitum,

quod

quod aiunt, a recepta theologorum doctrina recedamus, locus supra citatus ex Thomæ summa declarat. Immo hoc ipsum est, quo discerni veri prophetæ a prophetis dæmoniorum possunt; quod illi semper vera dicunt, hi aliquando falsa. Ita idem Thomas ibi ex Chrysostomo.

## CAPVT VIII.

*An prisci vates, qui in gentibus responsa dabant, temere & fortuito futurorum euentuum veritatem attigerint.*

**N**on est proinde quod iis accedamus, qui propterea quod dæmon non semper vera de futuris contingentibus pronunciat, sed falsa interdum, & plane fassus fuisse deprehenditur, exinde inferunt, non nisi casu vera aliquando dicere: ac temere nominum & verborum de omnifariis rerum euentibus multitudinem effutire vates, ac in immensum tempus, velut in mare profundum, demittere atque dispergere, quo verba illa cadant securos; casu autem fieri ut quædam interdum in id incident quod vere euenturum est. Ita Boethus Epicuri sectator apud Plutarchum de Sibyllæ & aliorum vatum responsis differens inducitur, congruenter scilicet disci-

disciplinæ quam profitebatur. Σίενται δέ, ἀυταὶ καὶ Βάκιδες, ὡστε εἰς πόντον ἀτεμπάρτως τὸν χερόν κατέβαλον καὶ διέπειραν ὡς ἔτυχε παντοδαπῶν ὄνόματα καὶ ρήματα παθῶν καὶ συμπλωμάτων. Οἱς γνομένων ἐνίων δύο τύχης, ὅμοιας ψεῦδός θεῖ τὸ νῦν λεγόμενον, καὶ νῦν ὑστερην ἀληθῶς εἰ τύχοι γένηται. Sed & Diogenianum citat Theodoritus dicto loco eadem sentientem: νῦν ἡ τοσῦτοι τοῖς εἰρημένοις ωρογήσω, ὅτι μάλιστα μὴ τὸ ἀληθένειν ποτὲ τὰς καλεμένες μάντεις ἐν Γαῖς ωραγορέουσσιν, εκ Πιτισίμης, ἀλλὰ τῷ χιτῶνι αἵτιας ἔχον ἀντίη. Καὶ τὸ μηδέποτε τὰς ωραμένας τυγχάνειν, ἀλλὰ τὸ μὴ πάντοτε, μηδὲ ὡς Πιτιοπλεῖσσον, μηδὲ ὡς ἐξ Πιτισίμης, ὅταν οὐκ ποτε τυγχάνῃ καλεῖν ωρειλήφαμεν, οἱ διειληφότες τὰς ύψη ἔνασον ὄνομα τεταγμένας ἐνεργεῖσι ἐννόιαις ἐστῶν. id est, Nunc vero tantum hoc superius dicitis adiiciam, quod sequando veri inuenti sunt in suis prædictionibus ii, qui vates appellantur, nullius quidem scientia sed fortunæ opus id fuit. Haud enim fortunæ opus appellandum censemus, si quis nunquam propositum sibi finem assequatur, sed si non semper, nec plurimum, verum raro citraque scientiam assequatur, distinguentes singulis nominibus attributas manifestasque animi nostri conceptiones. Hæc ex Diogeniano Theodoritus. An autem illo, qui genere Pergamenus, Plutarchi suppar, & ut verisimile est, amicus, quippe in eorum numero, quos in Symposiacis laudat; aut alio; aliis considerandum relinquo.

Verum huius opinionis vanitatem Serapion ex eadem Plutarchi disputatione strenue redarguit, cuius verba superioribus adiungere vixum est: Τοιαῦτα τῷ Βόηθῳ διελέγοντες, ὁ Σεραπίων, δίκαιον, ἔφη, τὸ ἀξίωμα τῷ τὸν ὅτας λέγει Βόηθος ἀσχίσως καὶ αὐτοθέτως λεγομένων εἰ νικη σφραγίῳ προεισηγμένων· νενίκηκεν εἰ πόλεως ἀναίσχεσις, δύπολωλεν· ὅπερ ἐξ μόνου λέγεται τὸ γενησόμενον, ἀλλὰ καὶ πῶς, καὶ πότε, καὶ μετά πι, καὶ μετά πιος, ὃν ἔστιν εἰκασμὸς τῶν Τάχα γενησομένων, ἀλλὰ τὸν πάντας ἐσόμενων προδήλωσις. id est, *Hec cum Boethus diceret: vera est, inquit Serapio, hæc sententia de his, que ita prædicuntur, sicut Boethus dixit, indefinite & incerto arguento: puta, si vicit imperator, cui prædicta fuit victoria; si urbs deletur, cui excidium prædictum est.* Vbi autem non modo quid futurum sit, sed etiam quomodo, quando, qua occasione, quo auctore, prædictur; non est hoc coniectatio eius quod fortasse futurum est, sed certo futuri prædictio. Hæc est igitur solutio: non posse dici fortuitum quod non simpliciter affirmatur futurum, sed iis adiunctis signatum atque definitum, quibus particularia indicari solent & quasi digito monstrari, nempe loco, tempore, modo, personarum differentiis. Quod genus prædictionis non scientia, sed solo numinis afflato hominibus comparari Ptolemæus in centiloquio fatetur his verbis: ἡ γάρ ὅπερ διατάν, τὸν ὅπισθμονα τὰς μεγικὰς ἴδεας τὸν περι-

γνάτων ἀναγέιλατ. Et paulo post: μόνοι δὲ  
οἱ ἐν θρονώντες ὁρεύγοσι καὶ τὰ μερικὰ. Ne-  
que enim fieri potest, ut aliquis sola scientia hu-  
mana fretus particulares rerum differentias præ-  
nunciet. Soli etenim numine afflati & diuino fu-  
rore correpti prædicunt particularia.

Quod autem & Sibylla & Pythiæ multa hoc  
modo, hoc est, distincte & particularibus signa-  
ta differentiis futura prænunciatint, exemplis  
deinceps ostendit Plutarchus: in quibus & illud  
oraculum affert, quod Lacedæmoniis prolatum  
fuit, tunc cum Agesilaus & Leotychides inter  
se contenderent, vter Archidamo patri in re-  
gnum succederet. Cuius oraculi multa fit  
mentio in monumentis Græcorum, Xenophon-  
tis tertio Ελληνικῶν, Pausaniæ Laconicis, Plu-  
tarchi Agesilao. Est autem eiusmodi:

Φερέθεο δὴ Σπάρτη, καίπερ μεγάλαυχος  
ἔσσαι,

Μὴ σέφεν δρεπίσθοδος βλάψῃ χωλὴ Βασιλεία.  
Δηρεντὸς μόχιος σε παταχήσον ἄελπτοι,  
Φιστερτὸν τὸ οὐτὶ κῦμα κυλινδομένος πολέ-  
μοιο.

Id est,

*Sparta caue, quamuis alte re gloria tollit,  
Rex validæ tibi det pedibus ne incommoda  
claudis.*

*Namque insperatos cogeris ferre labores,  
Pestiferosque diu belli subsistere fluctus.*

Neque est quod fictum e re nata id oraculum tunc suspicemur ; propterea quod Plutarchus tradit , a Diopithe quodam istud fuisse propositum super ea contentione , quæ tunc in partes ciuitatem scindebat ; aliis Agesilao regnum decernentibus , aliis Leotychidi : Diopithes autem in Leotychidæ partibus fuisse videri possit . Verum quæ eo loco scribit Plutarchus eam suspicionem facile a Diopithe depellunt .  
 Ην δὲ Διοπείδης ἀνὴρ χειρομολόγος εὐ Σπάρτη , μαντεῖων τε ταλαιων οὐστλεως , καὶ δοκῶν αθέτα τὰ θεῖα σοφὸς εἶναι καὶ περιπτός . οὗτος γνώμη θεοῦ θεία σοφὸς εἶναι χωλὸν γενέσθ τὸν λακεδαιμονος Σασιλέα , καὶ χειρουργὸν εὐ τῇ δίκῃ τοιχον ἀνεγίνωσκε . id est , Erat Diopithes vates Sparta , vir veterum oraculorum memoria abundans , tam magna pollens auctoritate apud populum , quod maiorem rerum diuinarum cognitionem & sapientiam præ altis omnibus adeptus videretur . Is fas esse negabat claudum Lacedæmone regem creari , & tale in ea lita vaticinium proferebat . Ita regnum Agesilao , qui claudus erat , derogari eo oraculo monebat iste Diopithes ; quem , ut dixi , tam prolixum & honorificum Plutarchi testimonium suspicione omni fraudis liberat . Cui si locus fuisset ullus , profecto non præteriisset tam perspicacis prudentiæ virum , tam rigidum censem omnis fraudulentia , & superstitionis , quam singulari volumine impugnandam censuit , implacabilem hostem , si quis

vñquam

ynquam fuit. Idne in re tanti momenti dissimulasset tam acris tam seueri supercilii philosophus , si suspicioni locum ullum esse putasset ?

Atqui alias non parcere solitum censuræ in tales impostores , locus ostendit in Nicia : vbi de concionibus agit , quas tunc Athenienses de Siculo bello habebant , tum oppositis Niciæ & Alcibiadis factionibus : illo vehementer id bellum disuadente ; hoc omni vi instantे ut suscipietur. Cum enim vates aliquot & sacerdotes idem quod Nicias censemtent , Alcibiades alios habebat vates , & oracula de eo bello suscipiendo in medium proferebat ; nempe falsos aut pecunia corruptos vates , ficta oracula. Καὶ τοι λέγεται πολλὰ καὶ ωδὴ τῶν ἱερέων ἐναντίσθη τῷσι τὸν σεργίαν· ἀλλ᾽ ἵτερος ἔχων μάντεις ὁ Αλκιβιάδης , ἐκ δὲ Ἰωνῶν λογίων περφέρε παλαιῶν , μέγα κλέος τῶν Αθηναίων δύποτε Σικελίας ἔσπειθ. Etsi enim homo Græcus , nobilissimum Græciæ imperatorem expresse non taxat impietatis ; tamen iis , quæ deinceps subiungit , satis nefariam eius viri in oraculis fingendis ambitionem & perfidiam declarat ; oraculi , quod sub idem tempus Atheniensibus redditum fuit , mentionem faciens : quo jubebantur Clazomenis accersere Hesychiam Mineruæ sacerdotem : Χερσόμῳ δέ τινος κελεύοντος αὐτὸς ἐκ Κλαζομενῶν τὴν ἱέρειαν τῆς Αθηνᾶς ἄγειν , ἐκαλεῖτο δὲ Ησυχία . καὶ Γάτῳ

ην, ας ἔσικεν, ο παρέγνει τη πόλει το δαιμονιον,  
εν τω παρέγνει την ησυχιαν αγεν. id est, Quo-  
dam vero oraculo iubente ipsis (Atheniensis)  
*Clazomenis euocare Minerue sacerdotem, que  
Hesychia vocabatur; idque erat profecto quod  
Deus ciuitati faciendum precipiebat, ut in præ-  
fens quietem ageret. &c.* Est autem obscuritas  
in verbo αγεν. Græcinaque τὸν δεῖνα αγεν  
dicunt pro ducere aut euocare aliquem: Sed &  
ησυχιαν αγεν agere quietem, hoc est, quiescere,  
cessare, alicui negotio supercedere. Vnde illis  
caligo. Nam cum Deus illis, cognominis sa-  
cerdotis symbolo, quietem imperaret, ipsis in  
personam intenti, mulierculam ad se nihil sibi  
profuturam vocarunt, quietem longe saluber-  
rimam reliquerunt.

Sed & Socratici dæmonis testimonio eosdem  
Alcibiadis vates perfidiæ & fraudis euincit Plu-  
tarctus: quo instinctus de more Socrates eam  
expeditionem Atheniensium reipublicæ fore  
perniciosa, multos familiarium admonuit.  
Ita nulla ex hoc Plutarchi loco ratio sumi potest  
contra antiquas prædictiones.

Dissimulare tamen non possum, accidere in-  
terdum, vt ex duobus vaticiniis, quæ de eo-  
dem negotio proferuntur, quorum vnum ex  
certa futuri prævisione editum est, alterum fi-  
ctum & casu effutitum, vtrum sit diuinum  
vtrum fictum distingui profus non possit: si  
nimirum ita res eueniat, vt prædictum est, Quæ-  
dam

dam enim fortuito iaci interdum ab imprudentibus per modum vaticinii, quæ nihilo aliter cœniant ac si vere præuisa fuissent, negandum non est: cum præsertim huius rei testis Augustinus, notis sibi & recentibus exemplis verum esse confirmet lib. 12. de Genesi ad literam his verbis: *Vigilantibus etiam, neque ullo morbo afflictis, nec furore exagitatis, occulto quodam instinctu ingestas esse cogitationes, quas promenando diuinarent, non solum aliud agentes, sicut Caiphas pontifex prophetauit, cum eius intentio non haberet voluntatem prophetandi, verum etiam id suscipientes, ut diuinandi modo aliquid dicerent, nouimus.* Nam quidam inuenies iocando ut fallerent, ubi peregrini iter agebant, matematicos se esse finixerunt, ignorantes omnino utrum duodecim signa dicerentur. Qui cum hospitem suum mirari cernerent quæ dicebant, attestati esse verissima, audacius in plura progressi sunt. At ille attestans ad omnia mirabatur. Postremo ab eis de filii salute quæsivit, quem diu absentem desiderabat, & quod inopinate tardaret, ne quid ei accidisset, sollicitus erat. At illi non curantes quid post eorum abscessum veri cognosetur, dum tamen in præsentia latum hominem redderent, mox profecturi responderunt: saluum ac propinquantem, & eo ipse die, quo hæc loquebantur, esse venturum; neque enim metuebant, ne, cum dies peractus esset, eos ille redargendos postridie sequeretur. Quid multa?

Dum iam abire disponerent, ecce subito adhuc eis illuc positis venit. Hæc ibi Augustinus; neque uno contentus exemplo aliud insuper profert, quod apud ipsum legat qui volet.

Hunc modum futura prædicendi idem Augustinus, ut visum est, *instinctum* vocat, impetum scilicet quendam dicendi scientiæ expertem. Quod genus prædictionis cum fortuitum censeatur, habet tamen suas causas, vel cælum, vel morbum, vel humorem quendam corporis, vel dæmonum ludibria; Sueffano auctore in libro de prophetia cap. 12. Sed eo vnde sumus digressi reuertamur. Fit ergo, ut dicebam, confusio & perplexitas in prædictiōnibus, cum & quæ futura esse finguntur, & quæ ex vero afflatu & certa cognitione prænunciāntur de iisdem rebus, ita eueniunt ut prædictum est. Quæ adhuc maior incidit perplexitas, cum duobus de eadem re promittentibus se fere effari quod futurum est, unus affirmat, alter negat: puta in exemplo supra allato, male cessuram Atheniensibus expeditionem contra Siciliam, quod vates alii dicebant; aut prosperram fore iisdem Atheniensibus & gloriosam, quod Alcibiadis arioli pollicebantur. Quilibet enim in partem euentus caderet, necesse erat, eorum vatum aliquos vera dixisse: si quidem duarum propositionum de futuro contingenti necesse est alterutram esse veram vel falsam. Sic olim in circi Romani factiōnibus

nibus de cursorum victoria, cum duorum spondentium neuter sciret plane cui colori, Veneto an Prasino, palma cessura esset, semper tamen horum alteruter obtinebat sponsionem.

Recte igitur Serapio ille apud Plutarchum dicto loco distinguit inter euentum, qui prædictetur sine vlla circumstantia aut particulari differentia, & euentum prænunciatum cum præscriptione modi, temporis, loci, & aliis proprietatibus: illum scilicet prædicendi modum posse in veritatem iucurrere citra ullum numinis afflatum, & plane casu; non autem posteriorem, qui sic aliquid futurum denunciat, vt circumstantias non omittat. Qualis modus est vaticinii de non eligendo in regem Agesilao, quia claudus esset. Quod enim istud oraculum non fuerit fictum, & fraude suppositum a Diopithe, præter auctoritatem Plutarchi, qui sic huius mentionem facit, vt minime ipsum falsi suspectum habeat; magnum insuper argumentum est, non fuisse in eo locum tali suspicioni, quod nec Lysander, qui in factione erat contraria & partibus Agesilai impensisime studebat, neque ipse porro Agesilaus, nec cæteri earundem partium, quos magno numero ille sibi virtutis commendatione adiunxerat, quicquam eiusmodi suspicati traduntur. Quo quid magis promptum obuiumque erat ad dicendum, præfertim Lysandro, imperatorum illius temporis clarissimo, maximæque tunc apud Lacedæmonios auctori-

tatis & potentiae, & quod caput est, acerrimi ingenii viro, si quid eiusmodi Diopithi obiici potuisset, quo eius vaticinii fides in dubium adduci posset? Non tamen id facere ausus, sed ita interpretatus est, ut in Leotychidem potius, qui non immerito adulterini ortus suspectus erat, traheret. *Ἄργες ταῦτα Αύσουνδες ἔλεγεν, ὡς εἰ πάνυ Φόβοντο τὸν χρησμὸν οἱ Σπαρτιάται, Φυλακτέον ἀντοῖς ἔη τὸν Δεωτικίδην·* & γένεται αὐτοῖς τὸν πόδα βασιλένοι, τῷ Θεῷ Διαφέρει, ἀλλ' εἰ μὴ γνήσιος ὁν μηδὲ Ηρακλεῖδης, τεθεὶς τὸν χωλῆν εἶναι βασιλείαν.

id est, Ad hæc Lysander dicebat: Si magnopere istud oraculum timerent Spartiatæ, cauendum iis esse Leotychidem. Neque enim Deo curæ esse, si quis offenso pede regnaret Lacedæmonem, sed si legitimus non esset hæres, neque e familia Heraclidarum: tunc enim vere regnum claudicaturum.

Maxime autem prædictionis illius ratio, & rerum exitus tanta fide respondens, admirationem mouere debet, si quis eorum temporum historiam nouerit. Quod enim tam aperte oraculo designatur Agesilaus, dum metuendam Spartanis χωλῆν βασιλείαν vates edicit: si istud tam proprium suspicionem facit fraudis; at eorum, quæ ex regno claudio euentura prædicuntur, malorum euentus, historiarum omnium fide contestatus, talem profecto suspicionem remouere debet. Cum enim iis temporibus,

ribus, cum id oraculum a Diopithe prolatum fuit, Lacedæmonii, victis per Lysandrum Atheniensibus & tyrannide oppressis, maxime opibus & potentia florerent, nec modo in Græcia sed etiam in Asia armorum gloria & imperio ubique principes essent; quis tunc in annum induceret, aut suspicari posset, si Agesilaus regno potitus fuisset, futurum ut ea conuersio sequeretur, quæ postea accidit, & sub Agesilao tanto imperatore eas clades paterentur Lacedæmonii, quæ eorum potentiae finem afferrent? Constat enim, eorum vites iis laboribus ac bellorum tempestatibus, quas prædicit oraculum, adeo fuisse attritas, ut nunquam valuerint postea resurgere ac pristinum imperium recuperare.

*Δηρὸν γὰρ μόχιοι σε παταχήσον ἀέλποι.  
Diu labores te insperati atque inopinati comprebendent.*

Tum illud,

*Φθοίβερτον τὸ θηνατομένα πολέμοι.*

*Bello aduolente flutum hominibus exitalem.*  
Nimirum vere clades eas *ἀέλπεσ* dicit oraculum, quas tunc nemo prudentia vlla futuras suspicari posset, nemo nisi numine afflatus prænunciare. Huius tamen oraculi quis vates auctor fuisset non declarat Plutarchus, sed solum a Diopithe prolatum fuisse in causa principum: quod is oraculorum veterum, quæ vndi-

vndique studioſe colligebat, promptuarium eſſet. Non ſolus vero Diopithes in id ſtudium incubuit, ſed alii etiam complures: in quibus Alyrium, Herodotum, Philochorūm, & Iſtrum Plutarchus nominat in libro de Pythiæ oraculis. Quin philoſophorum omnium πολυμαθέσιτος Porphyrius multa collegerat, eo conſilio ut ex iis materiam atque opportunities ad philoſophandum captaret; qua de re liber ab eo compoſitus extabat ita inſcriptus: ὦ θεί τῆς ἐκ λογίων Φιλοſοφίας, id eſt, de philoſophandi moда ex oraculis. Citant hunc cum alii Ecclesiæ patres, tum Theodoritus eo loco, qui a me ſupra eſt nota-  
tus, euidenti hallucinatione Zenobii Acciaoli, qui duas voces ἐκ λογίων iungens, atque ἐκ λογῶν legens, librum de philoſophia electorum paſſim vertit. Tantum ab eo abfuit Porphyrius, ut quæ priſcis temporibus oracula circum-  
ferrentur, ab aliquo fingi potuiffe arbitraretur. Non fuit profecto tam veſanus Porphyrius, ut quæ commentitia eſſe ſuſpicatus eſſet, non mo-  
do colligere, ſed & trahere ad philoſophicas contemplationes fuſtineret, & tam miſere otio ſuo abuti vellet. Hoc quidem de tali viro quis ſibi perſuadeat? Reſtat igitur, ut hunc ve-  
ritatis eorum oraculorum certum fuiffe creda-  
mus, ac certa habuiffe indicia, quibus ficta ab  
ingenuis diſcerneret. Nam vulgus a nebulonibus  
potuiffe decipi nihil mirum; doctos qui-  
dem & perſpicaces viros, qualis Plutarchus,

Por-

Porphyrius, & alii eius ordinis, potuisse, non arbitror.

Possem alia complura afferre prisco æuo redditæ Sibyllæ, Pythiæ, & aliorum vatum oracula non minus admiranda, quorum veritatem nemo veterum suspectam habuit; sed vereor his recensendis diutius morari cordatos lectores: qui profecto si dictis animum intendere velint, cognoscent, non omnia antiquorum oracula fuisse commentitia, sed multa ex iis dæmonis afflatu rerum futurarum veritatem attigisse, Deo tribuente aliquando dæmonibus, ut vera hominibus in pœnam eorum impietatis & idololatriæ aperiat. Sed mihi de Sibyllini spiritus & oraculorum ratione consideranti dum aurem vellit genius meus de Nostradamo Gallorum vate, si quidem vates fuit, celebrimo editis carminum fatidicorum centuriis, quæ etiamnum circumferuntur. Huic quidem, si vatem vere fuisse concedimus, id fuerit commune cum Sibylla, quod non vnius temporis aut gentis res vaticinio attigerit, sed præcipuos omnium euentus incredibili sit numinis præsentia complexus, neque minus vates mundanus quam Sibylla dici mereatur. De cuius facultate cum varia admodum sint hominum iudicia, ut in tam occultis vñi venit, ac alii hunc ut Jouis arcanis admissum & futurum omnium conscientium & cælo delapsum venerentur & suspiciant, alii ut impostorem & fatuum

fatum explodant: non erit abs re, opinor, aut iniucundum lectoribus, quid de illo sentientium putem deque eius vaticiniis, data occasione proferre.

## CAPVT IX.

### *De Michaele Nostradamo & fatidicis eius centuriis iudicium.*

**P**RIMUM de eius genere, natura, & studiis pauca: ex quibus nonnulla ad propositum coniectura sumi potest. Patria huic Salyum tellus fuit, quæ vulgo Prouincia antiqua appellatione dicitur: vrbe sancto Remigio. Pater Jacobus Nostradamus vrbis notarius, ut vulgo loquimur. Mater Renata de Sancto Remigio. Maiores bene versati in mathematicis & medicinæ scientia: quorum unus Renati regis Jerusalæm & Siciliæ, alter Joannis Calabriæ principis, Renato rege nati, medicus fuit. Quod suæ stirpis decus, ac sibi a maioribus vélut per manus traditam disciplinarum mathematicarum peritiam, ipse testatur. Harum studium exinde cum medicina coniunxit, utrique vacans arti. Sed maxime astrologicis iudiciis & prædictionibus ultra ingenii humani captum innovuit, non solum popularibus & vulgo, sed etiam regi Henrico secundo & Catharinæ reginæ, duci item Allobrogum, & Margaretæ regis

Henri-

Henrici sorori, doctissimæ heroinæ & literatorum fautrici. Ab iis principibus euocatus non semel, consultus, & in admiratione habitus fuit. Exinde & in archiatrorum albo, eorum qui ordinarii dicuntur, regis munere adscriptus. Erat autem doctor medicus Monspeliensis.

Natura fuisse melancholicum & ἀνησυχητικὸν vel scripta eius fidem faciant. Ut enim Theophrastus Heracliti Ephesii philosophi, qui ὁκοτερωτὸς dictus est, obscuritatem, qua in scribendo usus est, temperamento eius melancholico adscripsit: sic eidem causæ dicendi perplexitatem & negligentiam, quas in prosa etiam Nostradamus legentibus prima fronte obiicit, tribuendam putem. Quod autem melancholici diuinæ insaniæ, quæ prophetas facit, humoris atri, quo abundant, in primis sint opportuni, ostendit Aristoteles, & ego etiam differui in mea Dissertatione de furore poetico: cuius specimen in vestibulo meorum Poematum placuit dare, tanquam gustum plenioris tractatus, quem Deo iuuante sum editurus.

Medicinæ insignia adeptus &, ut fit, ciuitates alias inuisere cupidus, peruenit Agennum Nitiobrigum oppidum, visitque Julium Cæsarem Scaligerum, illum heroem, omnibus quæ hominem literarum cupidum ad astra ferunt ornamentis ad miraculum instructum; cuius amicitiam natus, ac eo aliquandiu usus, similitatem

tatem vitare non potuit, quæ etiam carminibus eiusdem in lucem erupit. Quo verisimile est non parum eius famæ detractum. Maxime autem fraudi illi fuit ipsa gloria. Cum enim quas vulgasset Ephemerides, ex ob prædictio-  
num veritate in pretio essent, & ab omnibus expeterentur, cupido lucri typographos & lib-  
rarios quosdam inducit, ut ad diuendendas quas in manibus haberent nugas triobolarium mathe-  
maticorum, nomine Nostradami abuterentur.  
Hinc sinistra de eo hominum iudicia & male-  
nolorum voces, etiam doctorum. Quo in ge-  
nere Jodelli Parisiensis poetæ epigramma, quo  
in Nostradami nomen lusit, in primis argutia  
late tunc vulgatum fuit:

*Nostra damus cum falsa damus, nam fallere  
nostrum est:*

*Et cum falsa damus, nil nisi nostra damus.*  
Aliquot etiam epigrammatis in eum inuectus  
est Scaliger, quæ cum aliis eius poematis excu-  
sa sunt typis. In Farragine:

*Cur Nostradamus se esse ait prophetam?*

*Quia dicit ortum a Beniamin prophetis.*

*Quod si a Mahomet, qui fuit propheta,  
Bis Nostradamus sic erit propheta.*

Rursus in Hipponaëte:

*Vt Nostradamus veritatis euersor*

*Tuto queat futura ficta mentiri,*

*Se cælitus feruoris igne demissi*

*Lymphatico furore dixit apprendi.*

*Quid*

Quid sentiamus? docte Ruffe, quærenti  
 Canam: canenti Musa succinet verum.  
 Non est Platonis execrandus, infamis  
 Engastrimuthus, sternomantis Euryclæ:  
 Nisi a Tagete est institutus Ethrusco,  
 Vel Brachmanum cratere, vel choro nudo.  
 Non Zoroastris implet aura diuini;  
 Anus Pronoea Stoici fauet nulla;  
 Non dat Themis responsa, quæ dabant quondam;  
 Non inde Python, qui secutus est illam;  
 Non arciger Pythonis acer occisor;  
 Non Nympholeptos: Baccholeptos est nequam.  
 Item in eodem libro:  
 Si Nostradamus, quid pudere sit, nescit:  
 Quod est paratum, nec reconditum, & præsens;  
 Quanam futura notione mentitur?

Hæc Scaliger sub Hipponactis titulo; & merito:  
 sunt enim Hipponactea plane & eandem rabi-  
 em spirantia, digna Hippoñacte ebrio, non Scali-  
 gerio sobrio; sed non aliena tamen a Scalige-  
 ro irato & Hipponactis Musa instincto. Ira-  
 tus profecto hæc in Nostradamum dabacchatus  
 est Scaliger: qua causa iratus, quidue dolens,  
 me latet, nec scire multum laboro, neque ad rem  
 pertinet: modo constat iratum fuisse: secus  
 non verisimile est, quo familiariter usus fue-  
 rat, hunc tam proterue & furenter laceraturum  
 fuisse, quem tot magni viri & principes, rex quoq;  
 ipse, in admiratione habuit, cuius prognostica  
 Joannes Auratus illi æqualis, poeta insignis,

ingenio & eruditione non vulgari, quod scripta eius indicant, tanti fecit, vt illa notis & interpretationibus illustrare non designatus fuerit, vt quidem testatur Bibliothecæ Gallicaæ Compilator de la Croix du Maine.

Sed & Ronsardus eidem Nostradamo testimonium reddit in quodam poemate, ac vatem esse agnoscit, licet cuius causæ impulsu prædiceret, definire non audet. Versus Ronsardi si quis requirit, adscribere haud grauabor:

*Ou soit que du grand Dieu l<sup>e</sup>, immense éternité*

*Ait de Nostradamus l<sup>e</sup> enthousiasme excité :*

*Ou soit que le Demon bon ou mauvais l<sup>e</sup> agite :*

*Ou soit que de nature il ait l<sup>e</sup> ame subite,*

*Et outre le mortel s<sup>e</sup> elance iusqu<sup>z</sup> aux cieux,*

*Et de la nous redit des faits prodigieux :*

*Ou soit que quelque esprit sombre & melan-*  
*cholique*

*D<sup>e</sup> bumeurs crass<sup>es</sup> rep<sup>it</sup> le rendre fantastique :*

*Bref, il est ce qu<sup>z</sup> il est, si est ce toute fois,*

*Que per les mots douteux de sa prophete voix,*

*Comme un oracle antique, il a dès mainte*  
*année*

*Predit la plus grand part de nostre destinée.*

Fuere & alii in eodem albo, quos videre est apud auctorem anonymous apologiæ Nostradami, quam præfixit eiusdem tetraastichorum enarrationibus. Quibus & Gallicæ bibliothecæ auctor modo laudatus addi potest, qui Nostrada-

stradatum vnum e magnis illius temporis astrologis, & merito, habitum testatur. Ac de Nostradamo hactenus.

Consequens est, vt, quod polliciti sumus, de eius facultate prænoscendi futuros rerum euientus, qua non modo quæ naturæ necessitate proueniunt, ex causarum quibus continentur cognitione, vt in astronomia vsu venit, vt eclipses solis & lunæ, tempestates, & alia ab astris pendentia certo a peritis præuideantur; sed etiam quæ in hominis consilio & voluntate sita sunt, vt fiant, aut non fiant; de ea, inquam, facultate eius quid sentiendum putem, differam paucis. Qui plura volet, auctorem anonymum, qui apologiam eius gallice scripsit, legat: præcipua attingam. Qui Nostradamum incessunt, partim vatem esse contentur, sed dæmonis mali instinctu: quales falsos fuisse prophetas, Balaamum, Sibyllam, Pythiam, & alios dæmonum cultores & socios constat; partim vatem fuisse negant, eius vero prognostica meras esse nugas: quorum si quid verum comperiatur, non scientiæ vlli, sed fortunæ adscribi debeat: vt deßisis melancholicorum censet Aristoteles, quæ casu interdum ad verum attingunt; propterea quod tali corporis habitu prædicti παντοδαπάς ὄψεις ὄρεώσ, omnifarias vident rerum imagines & simulacra sensui impressa: quæ cum illi sequantur, fit vt interdum veritatem assequantur: vt iis accidit, qui multa

iaciunt, ὡς εργαλέοις, ἀν πολλὰ Κάλης, ἄλλοτε  
ἄλλοτεν Κάλλεις, καὶ οὐτὶ τότεν τότε συμβαίνει, in-  
quit in lib. de diuinatione per insomnia cap. 2.

Quod ad priores attinet, qui vatem hunc  
fuisse fatentur, mea in præsens nihil refert quo  
genio & numine impulsus Nostradamus diu-  
nauerit, modo diuinum fuisse constet. Supra  
enim probauimus, cacodæmonem multa de  
futuris contingentibus, Deo concedente, præ-  
scire, & hominibus superstitionis olim aperuisse,  
& nunc & per omnes ætates indicaturum. Hos  
itaque mittamus. Sed neque longa aduersus  
alios disputatione opus est. Neque enim hic  
est locus, qui verbis aut disputatione egeat, vbi  
experiencia præsto est. Itaque omissis eorum  
dubitacionibus, quibus Anonymus bene & suf-  
ficienter occurrit, id vnum videndum est; quæ  
prædictit Nostradamus futura, ita, vt præ-  
dixit, euenerint, an frustra operæ istius  
fuerit? Si enim probari potest, multa & effa-  
tu digna ab eo multo ante quam euenirent præ-  
dicta fuisse, quis hunc verum fuisse prophe-  
tam neget? An ullum certius argumentum da-  
ri potest aliquem esse vatem, quam si quæ  
futura vaticinatur, ea ad præscriptum acci-  
dant, atque rebus manifestis congruant? Dixi,  
multa esse oportere: etenim ut proverbio fer-  
tur μία χελιδὼν ἐστὶ γε ποιεῖ, una hirundo non  
facit ver. Nunc qui centurias eius accuratius  
considerarunt; ut præfatus anonymous auctor,  
qui

qui eas , vt dixi, exposuit , & monachus ille ab eo laudatus , nec nominatus ; testantur , ex mille tetraстichis & supra , quæ ille reliquit, nullum esse quod non duas aut tres prædictiones veras contineat, rerum in oriente & occidente gestarum , per omnia regna , omnesque gentes. Quibus ex numeris subductis quanta prædictorum multitudo existat, qui uis intelligit. Qui igitur argumenti huius vim certius cognoscere volet, expositiones præfati Anonymi legat, qui Nostradamii prædictionum specimen dedit.

Interim illud dicam , si verum est quod dicunt, scripsisse Nostradamum suas prædictiones ante annum Christi 1555 ; dubitari non posse, quin vates fuerit , & quidem egregius , qui tam multa de annis sequentibus, non indistincte sed enucleate & appositis circumstantiis atque etiam nominibus quorumdam , per quos prædictorum eventuum rationes expediuntur, prænunciauerit. Nam & monachi nomen , qui Henricum tertium Gallorum regem execrabilis parricidio sustulit, in vaticinio eius expressum legitur , quem Clementem vocatum nemo nescit : & carnificis, quo percussus est Momo-rancius sub Ludouico XIII, nomen apposuit : tum alia complura eiusmodi prædictit , quæ quomodo sine exterioris cuiuspiam intelligentiæ afflatu scire potuit, non video quem anno 1566 e viuis excessisse constet. Hæc quidem tam particularia , nulla humani ingenii coniectura

sciri potuisse, palam est: ergo diuino afflato, vel certe genii alicuius boni vel mali impulsu.

Neque obstat, quod ipse Nostradamus, quæ de futuro videbat, cælo imputet, in epistola ad Filium scribens, *se haud lymphatico insinuetu, sed astronomicis studiis talia consecutum*: quando item eadem charta, in iis quæ de futuris contingentibus prædictit, *non alio se lumine illustratum, quam diuino*, præ se fert. Ita ergo dicta illa, quæ pugnare videntur, componenda sunt, ut intelligamus, huic mathematicam lucubrationem cuiusdam præparationis loco fuisse; cui vehementius incumbens abstrahebat animum ab alienis curis & cogitationibus. Quo fiebat, ut in quadam furoris ecstasi positus luminis statim diuini influxum susciperet. Sic Elisæus vates, ut est in quarto Regnorum, cum propheta esset celeberrimus, a regibus de eiusdem expeditionis euenu consultus, non prius respondit quam citharistes adduceretur. Sic multa diuinis illis Ecclesiæ magistris, Clementi Alexandrino, Origeni, Augustino, Chrysostomo, inter lucubrandum diuinitus oblata nullus dubito, quæ aliter non vidissent. Sic & poetas secessus & mentis intensio inflamat; neque secius propterea numinis præsentiam sentiunt:

*alterius nam*

*Altera poscit opem res, & coniurat amice.*  
inquit Horatius in arte. Nihil ergo absurdum, putare, Nostradamum & ingenio (quod ipse prædicat,

dicat, & maioribus suis fert acceptum ) & studio ac peritia astrorum præstanti excelluisse: simul genii alicuius boni vel mali, vel etiam, si fas dicere, Dei luce extraordinaria, ad illa occulta excitatum fuisse.

Sic autem existimo, Nostradamum prorsus exteriore & extraordinaria causa impulsu[m] te- trasticha illa fudisse: quali autem : diuina, an dæmoniaca; cordatus lector ex hac fabula æsti- met, quam iam sæpius memoratus apologiæ au- tor anonymous se a viro nobili Florinuilla & eius coniuge accepisse testatur. Cum enim iis familiariter vteretur Nostradamus, & aliquando apud eos esset: quodam die accidit, vt Florin- uilla in corte inferiore castelli deambularet cum Nostradamo. Cum ecce duo iis porcelli oc- currunt, quorum unus candidus erat, alter niger. Animi gratia interrogat Nostradamum, quid fieret illis? Ille statim: nigro, inquit, ve- scemur nos; albus autem lupo in prædam cedet. Hoc auditio Florinuilla secretum man- datum dat coquo, vt procellum album vespe- re coquat cœnæ inferendum. Mactatur ne- frens, veruque, vt mos, transfixus, exinde fo- eo lucenti admouendus erat; cum necessitate quadam oborta eculina foras se proripit co- quis, mox redditurus. Interea temporis eo intrat lupæ catulus domesticus, visumque por- cellum inuadit dentibus, clunesque momento absumit. Redit coquis, & voratum a lupo

magna ex parte porcellum videns, illico alterum, nigrum scilicet, foco succidaneum dat, & mensæ postea infert. Tum Florinilla ad Nostradamum : Heus (inquit) Nostradame, porcellum album comedimus, neque lupus eum profecto attinget. Nostradamus negat album esse eum quem ederent, sed nigrum. Accersitur coquus : qui factum, ut expositum est, declarat; omnibus qui aderant prædictio-  
nis fidem obstupescentibus.

Hoc ne cui incredibile videatur, aliud fa-  
ctum non vsquequaque absimile referam ex  
Suetonio. Accusatus apud Domitianum Ascle-  
tario mathematicus, tanquam aliquid arte sua  
prædixisset de futuro eius exitu, in eiusque  
conspectum adductus, interrogatus ab eo est:  
quem ipsum manere exitum putaret? quo re-  
spondente: fore vt breui laceraretur a canibus;  
interfici quidem sine mora hominem imperat  
Domitianus; verum ad coarguendam temeri-  
tatem artis, sepeliri quoque accuratissime iubet.  
Quod cum fieret, euenit vt repentina tem-  
pestate deiecto funere, semiustum cadauer dis-  
cerperent canes. Ita non vanam fuisse astrologi-  
de se vaticinationem euentus ostendit. Nunc si  
quis hæc diuinitus iis hominibus, partim jocula-  
re, partim nullius momenti, patefacta putat, ca-  
nem ne in Deum peccet, dum eum ad tam humilia-  
tum friuola deducit: non, quod non omnia com-  
prehendat prouidentia Deus, qui vndiquaque est  
immense.

immensus; sed quia non eundem ad omnia modum gubernandi tenet, neque in paruis vim illam exercet, qua futura hominibus ostendit, sed in maximis tantum, aut quæ ad gloriam suam pertineant. Ista igitur minima & ludicra dæmonibus improbis, velut otiosis & male fertiatis relinquunt, similibus hominibus, hoc est, curiosis supra modum & superstitionis reuelanda: ut olim Socrati occursum pororum in quadam via, & vexationem transeuntium amicorum per illam viam. Quæ scilicet dæmon facit postea: vel si talia quæ prædicuntur ita ab humano arbitrio dependeant, ut ne ab ipsis quidem geniis procurari aut præuideri suapte intelligentia possint; ibi haud absurdum, interuenire bonos genios sive angelos, Deo illis tribuente, ut talium cognitionem demittant ad importuna illa infelicium dæmonum cum hominibus commercia, ut prauæ curiositatis, ambitionis, & nequitiae dent pœnas. Ita & istorum leuium præuisio originaliter a Deo est, sed modus diuersus, multum infra eorum dignationem, quos Deus proprie afflatus suo ad æternitatis suæ consortium & temporariam participationem admittit.

Quod igitur hoc modo maligni dæmones, & per eos olim Sibylla, aliique antiqui vates, multa e futuris etiam contingentibus scire potuerint, ex his planum esse potest. Quæ diuini etiam Augustini sententiæ consona esse

ostendo ipsius verbis prolatis ex libro 7. Confessionum cap. 6. *Tu enim Domine iustissime moderator vniuersitatis, consulentibus consultisque nescientibus, occulto instinctu agis: ut, dum quisque consultit, hoc audiat, quod aportet eum audire, oculis meritis animarum, & abyssō iusti iudicii tui; cui non dicat homo: quid est hoc? aut, quid hoc? Non dicat, non dicat: homo est enim.*

Hæc autem studiosis & veritatem amantibus in hunc modum de omnibus externorum vatuum responsis proposuisse sufficiat; aliis, sine ratione obstinatis ad negandum atque irridendum quæcumque de hoc genere apud antiquos aut recentiores scriptores prodita extant, aut a quocumque quantumuis fide digno teste referuntur, ad coarguendam eorum temeritatem subnectere placet, quæ Paulus Jouius in elogiis doctorum virorum prodit de Bartholomæi Coclitis, metoposcopi & chiromantis, prædictiōnibus atque vaticiniis: *Extat (inquit) de his preclaræ ac admirabilis fidei catalogus, ipsius Coclitis manu perscriptus, de iis quibus varia violentæ mortis pericula denunciauit, exactissimo post eius interitum fortune obsequentis euentu comprobatus. Quo fit, ut me quoque, inueterata exercitationis in hac luce Romanan non facile credulum senem, in sententiam adducat ipse exacta etatis, & integri iudicii, Lucas Gauricus; cum ingenue fateatur, se a Coelite seuere amiceque admonitum,*

vt

ut violenti cruciatuſ causas effugeret ; cum id ipſe, ſui natalis, negligentia patris, ignarus, ex ſiderum ſcientia anteueriſſe nequiuerit. A Joanne enim Bentiuolo arreptus , & ex p̄alta trochlea ſuſpenſo fune quinqueſ quaffatus, ideo pœnas dederat, quod excessurum patria & domi- natu , in eius anni prognotico prænunciasset. Iſte & Gauricus inter Italiæ astrologos maxime inclytus ; qui de Henrici ſecundi Gallorum regis obitu interrogatus, respondit: fore, ut ex vulnere in singulari certamine accepto occumberet ; quod & euenit , cum cuidam ex aulicis ludicra pugna inuito concurrere voluif- fet.

## CAPVT X.

*Aliorum vaticiniis celebrium viro-  
rum exemplis eadem opinio  
confirmata.*

**S**ed & alia id genus vatuum præſcita feruntur non minus miranda ; vtpote quibus ſingulares hominum nondum natorum proprietates ac rerum euentus ita exprefſe enunciantur , ac fi iis vatibus præſentes fuiffent. Quo in gene- re primus occurrit Malachias quidam archie- pifcopus : de cuius vaticiniis quæ in libello , cui titulus eſt *Reductio analytica doctrinae diui Thomæ*, typis Petri de Bresche, Parisiis ſcripta, reperi,

reperi, subiungere haud grauabor: Beatus Ma-  
lachias archiepiscopus Ardinensis, & monachus,  
natione Hibernus, spiritu indubie propheticus, sum-  
mos ecclesiz antiſites, quotquot post eius obitum  
ecclesiam rexerunt, & forſan recturi sunt, ty-  
picis quibusdam nominibus ex ordine secundum  
proprias singulorum notas praesignauit. Contempo-  
raneus fuit D. Bernardo, qui vitam eius descripsit.  
Vixit anno Domini 1137. obiit anno 1148 die 2.  
Nouembr. Eorum qui iam præterierunt P. Fran-  
ciscus Alphonsus Giacconius ordinis prædicatorum,  
nominum typicorum rationes singulari sagacitate  
reddidit, ita ve nescias, quid magis in his mire-  
ris; obscuritatem & vilitatem eius, unde nomen  
ad significandum defumptum est; an vero potius  
vocis proprietatem ad indicandum illud, ad quod  
significandum impositum est. Quamuis enim  
quædam, cum proprietate vocis indicent, quod  
denotatum a ceteris sui ordinis personali nota  
discernat, quædam vero cum quadam improprie-  
tate & corruptela vocis idem præſtent; nihilomi-  
nis ita apposite personales cuiusque proprietates  
designant, ut neque alteri conuenire, neque idem  
significantius denotari potuerit. Initium sym-  
bolice prophetiæ; Ex caſtro Tyberis; quod de  
Cæleſtino II. exposuit Giacconius, propterea  
quod Tybernas fuit, & ante pontificatum di-  
ctus Guido ex Caſtro. Finis autem prophetiæ:  
*Gloria oliue.* Quod ſymbolum, vt alia ali-  
quot ſub finem præcedentia, nondum inter-  
pretem

pretem nacta sunt. Nam Giacconius interpretationes suas ultra Urbanum VII non perduxit; cuius symbolum in eiusdem Malachiæ catalogo hæc verba habet: *De rore cœli*; hac coniectura, quod hic Bossanensis archiepiscopus in Calabria fuit: quam regionem mannae, quæ nihil aliud quam ros cœlestis certas in plantas decidens, nobilioris prouentu celebrem esse vel mulierculæ norunt. Non defuere tamen, qui quorumdam ex sequentibus symbolis sensum, post Giacconium, coniectura satis verisimili, ex euentu assequerentur. Ut istud: *Montium custos*, de Alexandro VII, qui montes in familiæ insignibus habuit. Idemque alii conati in hoc: *Sidus oloris*; & ad Clementem IX traxerunt, qui Rospigliosus vocabatur, ex nominis literis per anagrammatismum eruentes, mutato P in D. Vnde epigramma:

*Clementi dentur claves; clementia regnet;*

*Rospigliosus abhinc sidus oloris erit.*

*Nomen id omen habet: nam P dum vertitur  
in D*

*Dempturus populo est, non positurus onus.*

Infeliciter & adulatorie, atque etiam putide: dum elementi P in D mutati licentiam ad mysterium, vel certe augurium, demendi populo oneris non imponendi trahit. Alioqui nihil minus prophetæ conuenit, quam ista non-minum literis occulta abscondendi ratio. Absit ut credamus, tot & talibus elementis nomina

vlla initio fuisse constructa , vt ex iis pristina  
fede motis , atque aliter ordinatis, noua consur-  
gant nomina, rem longe diuersam significantia.  
Quod si aliquando contingit , vt sensus aliquis  
illi, cuius id nomen est, conueniens efficiatur,  
fortuito id omnino accidit , nec vlla prouidentia  
aut consilio ita euenire putandum est , sed temere  
& casu ; vt quod olim in Chiorum lapicidinis  
saxo diffisso caput Panisci extiterit : vti ex Gar-  
neade refert M. Tullius lib. i. de diuinatione.

Quo magis hoc omnibus appareat, insigne  
anagrammatum vanitatis exemplum proferam,  
ab Ægidio Menagio, viro priscæ & recentis li-  
teraturæ ornamenti florentissimo, & per vni-  
uersam Europam variis ingenii ac rarioris eru-  
ditionis monumentis celeberrimo, relatum in  
vita Ærodii. Ibi Petri Loerii facit mentionem,  
in præfectura Andegauensi consiliarii, Ærodo  
æqualis: viri quidem eruditæ, sed orientalium  
in primis linguarum admiratione & amore  
vsque adeo insipientis, vt nihil non vulgari-  
um nominum, quibus vrbes in Gallia, pagi,  
castella, aggeres, prædiola appellantur, ab  
Ebræa aut Chaldaica lingua deduceret: edito  
etiam *de coloniis Idumeis* libro, talibus ineptiis  
referto, id publice professus. Sed & idem ni-  
hil non apud Homerum anagrammatismi ope  
inueniebat: vt in hoc versu Odyss. A.

Σὸν δὲ πτω οὐς ἔχει παλὸν γέρας, αἷλα  
ἔκηλος.

In

In hoc igitur versu, quem Anticlea Vlyssis mater profert ad filium, iste Loerius resolutione literarum hæc verba inueniebat:

Πέτρος, Λωέριος, Ανδένιαος, Γάλλος, Τλείν.

Petrus, Loerius, Andinus, Gallus, Huilla. Est autem *Huille* nomen pagi, Loerii patria. Immo vero ex literis residuis  $\alpha$ ,  $\chi$ ,  $\pi$ , annum quo nomen prædicto versu absconditum, ipsi reuelandum esset, nempe 1620, notatum pertendebat; ne quid scilicet in eo versu, quod ad se non pertineret, esse videretur. Ex his de hominis illius ingenio, & anagrammatum vanitate, quiuis iudicare potest.

Extant præterea Joachimi monacki vaticinia & imagines, quibus propria quædam Pontificum Romanorum prænunciantur, cum explanationibus Pauli Principis de la Scala, siue Scaligeri, Veronensium Marchionis, cuius de vate isto verba hæc sunt in primæ imaginis explanatione: *Iste autem Joachimus natione Calaber fuit, & monachus ordinis S. Benedicti, atque in Florensi cœnobio eiusdem professionis abbas. Multa scripsit, & in omnibus ferme libris suis consuevit miscere prognostica. Commentatus est in Apocalypsim, & Esaiam, Jeremiam &c. Et contra Petrum Lombardum theologum librum composuit, qui postea concilio Lateranensi reiectus est. Vixit tempore Urbani tertii, & anno Domini 1178 Verone eundem conuenit. Hæc princeps ille de la Scala: vir, quod commentarius ille indicat,*

in

in pontificum Romanorum historiis egregie versatus. In calce autem explanationum hanc apponit coronidem : *Hec enim omnia ad annum Domini 1389 impleta sunt.* Reuelata autem erant Joachimo, dum esset abbas in monasterio Florensi in Calabria, circa annum Domini 1176. Tum verba Abbatis eius, quibus suas reuelationes concludit, haec affert : *Potens est Dominus mutare propositum suum, quia in manibus eius omnia astra sunt cœli.* Quibus verbis haud obscure innuit, sibi has prædictiones expressas via peruulgata mathematicorum: nempe ex cœlestium motuum computatione, secundum regulas astrologiæ iudicariæ; quam tamen ab Ecclesia damnatam constat. Apparet autem, ad nihil aliud inductam astrorum mentionem, quam ut hoc peripetasmate altioris societatis & commercii occulta tegeret. Qua etiam arte usum Nostradamum ad suas prædictiones in lucem protrudendas verisimile est. Illud non dissimulabo : me, cum primum in eas imagines ænigmáticas & prognosticas incidi, horrore perculsum : adeo tetræ ibi effigies pontificum Romanorum; quorum vix ullus figuratur, cui non aliqua apposita bellua, vel belluæ portentum. Quo in genere portentosa in primis & terribilis, quæ ad vaticinium 15. ponitur. Monstrum poetarum chimæra tetrius draconis corpore, capite humano & coronato, belluinis auribus, cauda serpentis, qua stellas detrahit, in mediis

mediis flammis, haud dubie infernis, insidens. Hac autem imagine & vaticinio apposito designari Vrbanum sextum interpres censet: quem proinde terribilem pontificem vocat.

His Joachimi vaticiniis accedunt alia Anselmi episcopi Marsicani, scripta ab eo anno Christi 1278. quæ post obitum Bonifacii octaui in lucem data sunt. Neque hæc Princeps Veronensis indigna existimauit, quæ simili expositionum luce ad hominum intelligentiam excitat. Magna & prædictionum Hieronymi Sauonarolæ Ferrarensis, ex ordine prædicatorum, viri doctrinæ haud vulgaris, & sanctitatis confessæ, admiratio fuit: quibus euentus prænotatos ad præscriptum respondisse, omnium experientia fidem faciente, testatur Joannes Franciscus Picus in patrui vita. Ac de his hactenus.

Hæc autem paulo diligentius differere visum est, ad comprimendam eorum temerariam censuram, qui quæ in veterum monumentis Sibyllæ nomine prolata vident præscita, ejus genuina esse nolunt; ob hoc ipsum, quia sequentibus rerum euentis certius, quam fieri posse putant, comprobata videantur.

## CAPVT XI.

*Quod non omnia, quæ Sibylle nomine feruntur, genuina eius sint:  
Et de ratione dignoscendi genuina ab adulterinis.*

**N**ec tamen is sum, qui in omnibus, quæ Sibyllæ nomine iactantur, obstringam fidem meam. Verisimile est enim, multa ab otiosis hominibus atque nebulonibus, iam inde a priscis seculis, nomine eius conficta ac veris inserta fuisse. Idque ostendit cura Romanorum principum discernendi vera a falsis, de qua passim in historiarum monumentis fit mentio. Cornelius quidem Tacitus annal. lib. 6. *Simul commonefecit (Tiberius:) quia multa vana sub nomine celebri vulgabantur, sanxisse Augustum, quem intra diem ad pretorem urbium deferrentur, neque habere priuatim liceret.* Quod a maioribus quoque decretum erat, post exustum civili bello capitolium, quæsicis Samo, Ilio, Erythbris, per Africam etiam ac Siciliam, Et Italicas colonias, carminibus Sibylle; una seu plures fuere; datoque sacerdotibus negotio, quantum humana ope potuissent, vera discernere.

Quæ tamen cura non obstitit, quin de eorum vaticiniorum plerisque ambigeretur. Ut de isto, quod Tiberii principatu vulgatum fuisse inter

inter prodigia, quibus prænunciata est mors Germanici, refert Dio lib. 57. Neque parum mouit animos hominum oraculum quoddam pro Sibyllino habitum, nihil quidem ad ista, sed ad nostra tempora pertinens, in hanc sententiam:

Τεῖς ἡ τρέμουσίων ὁράτελλομένων ἐνιαυτῶν,  
Ρωμαῖς ἔμφυλος ὀλεῖ σάσις.

Ast ter tercentum reuolutis protinus annis  
Roma intestina perdetur seditione.

Hoc carmen Tiberius ut falsum cauillatus, omnes libros fatales inspexit, aliosque probauit, alios rejecit. Neque ideo non istius memoria durauit, animosque percellit tempore Neronis, cum urbem incensam populus videret. Cum Nero, ut est apud eundem Dionem, populi consolandi causa, nusquam hos versus inter Sibyllina reperitos diceret. Sed homines aliud canere cœperunt:

Ἐχαῖς Αἰνεαδῶν μητροκτόνος ἡγεμονέυσει.

Vltimus Aeneadum matris interfector imperabit. Siue id vere oraculo proditum, siue multitudo sponte non sine afflatu numinis protulit, siue ex statu rerum, qui tum erat, coniectura ducta.

Sed & sub mortem Cæsaris dictatoris rumorem fuisse a Quindecimuiris profectum, siue verum siue fictum, de Sibyllæ vaticinio, idem Dio testatur: quo prædictum esset, *Parthos, nisi a rege, non posse vinci.* Quâ de re etiam Suetonius, ubi de L. Cottæ sententia: *Quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos, nisi a rege, non posse vinci.* Ex multis quoque Ciceronis locis liquet,

in epistolis ad Lentulum, vbi de negotio Ptolemaei in regnum reducendi ex Sibyllæ libris loquitur, quod in iis de rege esset prædictum. Item in libris de diuinatione : *Sibylle* (inquit) *versus obseruamus, quos illa furens fudisse dicuntur; quorum interpres nuper falsa quædam hominum fama dicturus in senatu putabatur: eum quem re vera regem habebamus, appellandum quoque esse regem, si salvi esse velimus.* Et mox: *Cum antifitibus agamus; ut quiduis potius ex illis libris, quam regem proferant: quem Roma posthac nec dii nec homines esse patientur.* Ex quibus verbis apparet, quantum Cicero & alii proceres & cordati viri illius temporis, non quidem de Sibyllæ oraculis, sed de eorum fide, qui illa proferrent, dubitarent. Nec immerito: cum solis sacerdotibus, hoc est, Quindicimuiris, liceret adire libros Sibyllæ, & ex iis, quæ viderentur, ad populum proferre.

Quantum porro impostores & agyrtæ Sibyllæ nomine abuterentur, ex Luciani pseudomanente, & libro de morte Peregrini intelligi potest: quibus locis Alexandri illius pseudoprophe-tæ vaticinium refert pro Sibyllino, ab ipso prolatum, quod scilicet aut ipse de se compo-suerat, aut a suis amicis & hypophetis acceptum, Sibyllæ nomine idiotis proponebat. Quibus similia post mortem Peregrini cynismum pro-fessi ejusdem sectæ & factionis homines Sibyl-læ Bacidis nomine vulgabant. Cæterum omnia

in

in hoc genere fuisse conficta & supposita incre-  
dibile est. Neque tot seculis Sibyllinorum  
auctoritas & fama apud gentes durare potuif-  
set, si omnia eo nomine prodita fuissent ficta.  
Libet enim hic vti ratione eadem, qua vtitur  
Cicero in lib. 2. de natura deorum ; vbi de  
deorum opinione apud homines : *Quod nis-  
cognitum comprehensumque animis haberemus,  
non tam stabilis opinio permaneret, nec confir-  
maretur diuturnitate temporis, nec una cum se-  
culis et atibusque hominum inueterare potuiffet.*  
Etenim videmus ceteras opiniones fictas atque  
vanas diuturnitate extabuisse. *Quis enim Hip-  
pocentaurum fuisse, aut Chimeram putat?*  
*queue anus tam excors inueniri potest, que illa,*  
*que quondam credebantur, apud inferos porten-  
ta extimescat? opinionum enim commenta delet  
dies, naturae iudicia confirmat.*

Quæ autem horum vera, quæ ficta censi de-  
beant, certo diiudicare haud promptum, immo  
perdifficile arbitror: sunt tamen quædam, ad  
quæ aliquis respiciens, id saltem assequatur, vt  
non multum aberret a scopo. Primum enim  
in iis, quæ Sibyllæ nomine feruntur, quid Si-  
byllæ conueniat, quid non, videndum est.  
Hoc autem cum ex iis, quæ de ingenio, mori-  
bus eius atque institutis, aut natura ejus affla-  
tus exposuimus, perspici poterit: tum eorum,  
quæ eius esse propria nemo ambigit, oraculo-  
rum comparatione cum aliis, quæ in controuer-

siam incidunt. Præterea non parum interest, quales sint, qui aliquid pro Sibyllino proferunt & venditant, quorūsum, quo tempore, & ita de aliis adiunctis, quæ non parum ad fidem faciendam aut detrahendam faciunt. Quæ enim graues & antiqui scriptores Sibyllæ nomine proferunt, genuina eius esse probabiliter credi possunt: ut quæ supra a Plutarcho laudata proposui. Quæ autem pseudopropheta Alexander apud Lucianum, aut stulta cynicorum quorundam ambitione de Peregrini obitu, nemo non merito ab illis nebulonibus facta iudicet.

Ad hunc modum pleraque eorum, quæ in libris Christianorum occurruunt, Sibyllæ adscripta, mihi admodum suspecta sunt; quæ præfertim dilucidius de Domini aduentu & rebus tradunt, quam in Sibyllam ethnicam vatem competit. Facileque assentior doctrinæ principibus viris, qui octo illos Sibyllinorum oraculorum libros piæ Christianorum seplasias & fraudis magna ex parte inuentum censent. De qua re, quæ maxime inter doctos in controvèrsia & disputatione est versata, post suo loco dicemus.

Nec defuerunt, qui, quæcunque nomine Sibyllæ ferantur versibus expressa, ipsius poeticæ compositionis & numerosæ orationis arguento, falso illi adscripta contenderent: quod talis oratio furenti non conueniat. Ita quidem M. Tullius in secundo de diuinatione libro his  
verbis

verbis : Non esse autem illud carmen furentis, cum ipsum poema declarat ; est enim magis artis & diligentiae, quam incitationis & motus ; tum vero ea quae ἀνεγράφησις dicitur, cum deinceps ex primis versus literis aliquid connectitur. Et paucis interiectis : At quod (ita enim scribo, pro Atque, quod perperam est in vulgatis editionibus) in Sibyllinis ex primo versu cuiusque sententiae, primis literis illius sententiae carmen omne prætexitur. Hoc scriptoris est, non furentis adhibentis diligentiam, non insani. Ibi duo proponit M. Tullius, quibus conuincatur, prædictio aliqua non esse Sibyllæ : si nimis rumpoeticō stilo scripta sit, & ἀνεγράφησις habeat : quod utrumque magis attenti animi sit quam furentis. Ita & Varroni esse visum refert Dionysius Halicarnassensis lib. 4. antiquitat. Romanar. non posse videri Sibyllæ esse, quæ talis diligentiae notam præferant, immo hac nota supposititia a Sibyllinis discerni. Καὶ οἱ ἐνεργοῦσι τινες ἐμπεποιημένοι τοῖς Σιβυλλεῖσι (χειροῖ) ἐλέγχουσι τὴν καλύμενας ἀνεγράφησι. λέγω δὲ ἡ Τερέντιος Οὐάρρων ἴσορην καὶ θεολογικὴ πραγματεία. id est, In quibus inueniuntur quædam supposititia, quæ deprehenduntur acrostichidum, quas vocant, discrimine. Sequor autem hic Ter. Varronis auctoritatem, qui ista prodidit in commentariis theologicis. Insignis locus hic Halicarnassensis historici, de acrostichide in versibus Sibyllæ falso adscriptis ; &

notatu in primis dignus, propter singularem ecclæsiæ doctorem Augustinum, qui in lib. 18. de ciuitate Dei cap. 23 hoc tanquam magnum argumentum profert, quod Sibylla Eiythræa de Christo prædixerit; quia in quibusdam eius nomine prolatis versibus, de iudicio vltimo & signis, quæ ipsum præcedent, hæc notatur acrosticis:

*Ιησος Χριστος Θεος υιος σωτηρ.*

*JESUS CHRISTUS, Dei filius, Saluator.*

Qui si memoratum Dionysii locum legisset, aut Varronis ab illo laudati meminisset, non tanti huiusmodi versus fecisset; neque in eorum numero, qui est viginti septem, mathesim suam ostendere voluisset. *Et sunt versus viginti & septem, qui numerus quadratum ternarium solidum reddit.* Tria enim ter ducata sunt nouem. *Et ipsa nouem si ter ducantur, ut ex lato in altum figura consurgat, ad viginti septem perueniunt.* Vbi (obiter ut dicam) figuram ex lato in altum consurgere intelligit: cum qui numerus erat planus, multiplicatione per primum numerum fit solidus: nam ibi altum idem est quod profundum. Neque ex primis quinque vocabulorum græcorum, quæ acrostichide inueniuntur, *ιχθυς* nomen, quod *piscem* significat, & mystice *Christum*, effici ad rem pertinere putasset. Sed fortasse non satis valida hæc ratio eradendi e Sibyllinorum albo carminis, quod in eo acrosticis deprehendatur: aut nu-

meris

meris adstrictæ orationis usus omnis detrahendi vaticiniis aut Sibyllæ aut aliorum vatum, quod talis compositio ex afflatu loquentibus parum conueniat. Qua de re, ut minus plana, aliquid, veritatis declarandæ causa, subiiciendum videtur.

## CAPVT XII.

*An metrum aut acrostichis aliena  
a stilo oraculorum : Et de poe-  
tica Sibyllæ.*

**E**X loco supra allato Ciceronis patet, videri ipsi alienum ab prædictione, quæ diuino afflatu contingit, colorem omnem poeseos & modulum versificationis. Ratio eius : quia nemo furore correptus carmen condere potest, quod hæc opera artem postulet, quæ in furentem non cadit. *Non esse autem illud carmen (Sibyllæ) furentis, cum ipsum poema declarat : est enim magis artis & diligentiae, quam incita-  
tionis & motus &c.* Si vera est hæc ratio, non modo a propheta, sed & alienum a poeta erit carmen & quodvis versificationis genus: si quidem & poetam furore oportere corripi, vt bene officio fungatur, communis omnium prope eruditorum sententia est. Ut enim ait Seneca in libro de tranquillitate : *frustra poeti-  
cas fores mentis compos pepulit.* Quod a Platone acceptum ; qui id in dialogo, cui titulus

Phædrus, docet. Quid quod Cicero ipse epistolis ad Q. Fratrem, excusans quod versus non scribat, quos ut ficeret Quintus hortabatur, *sibi deesse ἐνθεοτασμὸν*, hoc est, furorem diuinum, causatur? Si feso non posse versus facere illo tempore fatetur, quod furore careret; igitur hunc poetis ad versus faciendos necessarium esse existimat. Non ergo furor versificationi obstat; sed vim, qua perficiatur, excitat potius. Plura autem de his in nostra dissertatione de furore poetico.

Præterea aut omnino aliquam fuisse vatem, quæ Sibylla diceretur, & diuino afflato prædicteret, credidit Cicero; aut nullam fuisse, & fictum quicquid de illa dicitur. Si prius verum est, quomodo postea hanc versibus cecinisse oracula sua negetur, quam Plato, Aristoteles, omnes denique, qui huius mentionem fecerunt, *χειροσυνῶδον* vocent? Si non putauit vera, quæ Sibyllæ tribuuntur, neque ipsam extitisse unquam, aut vaticinatam; certe non ea causa carmen illi derogandum est, quia tale opus humani ingenii non est furentis, sed quia nulla omnino extitit Sibylla, & omnes, qui illam fuisse perhibent, mentiuntur. Non tamen puto aliquem esse tam impudentem, nedum M. Tullium, singularis ut facundiæ sic prudentiæ auctorem, atque etiam, ut ex multis eius dictis intelligo, sapientem, ut, quam omnes fuisse agnoscant, & tanto consensu afferant, vatem negare aude-

audeat. Fuisse igitur aliquando Sibyllam, & versibus vaticinatam, credendum est, quam omnes, ut dixi, χενσυωδὸν, hoc est, poetram vatem, & versibus responsa edentem fateantur.

Quod autem idem Cicero eam diligentiam, qua nomina in carminis modum alligentur, ut poetica fiat compositio, in mente motam & furore percitam cadere negat; si morbosum furem intelligit, qualis melancholia laborantium aut phreneticorum, & si solum in Sibylla furem cogitat, neque aliam fuisse causam illi carminis fundendi existimauit, neque ipse equidem putem tali furem impulsum esse aptum versibus faciendis; verum non dicimus ex solo furoris impetu Sibyllam cecinisse, sed dæmonis, cui seruiebat, afflatu, vel dei, si deum illi affuisse credendum est. Quid autem incredibile est, hominem quavis mentis alienatione extra se positum versus fundere, alieno intellectu, dæmonis scilicet suggestoris illi verba & voces modulatas? Evidenter non video, quid in eo euentu insit quod negotium facere possit: satisque mirari non possum, tam futile argumento quenquam ausum fuisse impugnare Sibyllæ poeticam aut acrostichidem; par enim ratio est. Neque enim dici potest, non potuisse dæmonem, quos versus Sibyllæ dictaret, eum in modum disponere, ut ex literis primis versuum compositis aliqua sententia efficeretur.

Age

Age & Justinum Martyrem audiamus, qui eodem modo de Sibyllæ poesi philosophatur in parænetico ad Græcos: αὐτη γδ̄ ὁμοία ὡς ποιητῇ, καὶ μετὰ τὸ γεράνι τὰ ποιήματα, εἰχεν ἐξστίαν, διορθώσας καὶ ὑπερέειν, μάλιστα δέ τὴν τῶν μέτρων ἀνεργειαν αἴλλα ἢν μὲν τὸ τῆς Πτιπνοίας παρεῖ, τὰ τῆς ἀρεφτείας ἐπλήρει πανουρμένης ἢ τῆς Σπιπνοίας, ἐπέπαινο τῶν εἰρημένων μνήμην. τότε δὲ αὐτοὺς τὸ μὴ πάντα τὰ μέτρα τῶν ἐπῶν τῆς Σιβύλλης σώζεσθε; id est, *Huc enim (Sibyllæ) baud quaquam sicuti poetis, & postquam poemata effuderunt, facultas fuit emendandi atque poliendi carmina ad accuratam compositionis normam; sed in ipso afflatus tempore munus vatis implebat.* Cum autem inspiratio cessasset, simul cum ipsa dictorum memoria peribat. Quæ causa est, cur non omnes versuum numeri & leges in Sibyllæ carmine seruentur. Ex his Justini verbis duo aperte colligi possunt: vnum quidem, eodem numinis afflato Sibyllam & prædixisse futura, & metro expressisse, non tamen accurato, quod quæ furens dixisset furore transacto reuocare ad emendandum non posset, vt poetis mos est. Ita carmen, vt furoris impetu effusum fuisset, manere imperfectum necesse erat. Suffragatur Justino Hesychius Illustrius: εἰ δὲ σίχοι αὐτῆς ἀτελεῖς ἐνεργοῦσι καὶ ἀμετροῦσι, τὸν αὐτῆς ή αὐτία, αἴλλα τῶν ταχυγεάφων, αὔρυθμαστῶν τῇ βύῃ τὸ λόγον. αὕτη γδ̄ τῇ οπινοίᾳ

*πνοία ἐπέπαυτο ἡ Τῶν λεγομένων μνήμη. id est,*  
*Quod si eius versus aliquot imperfecti & metricis*  
*legibus parum congruentes inueniantur, non eius*  
*id culpa, sed notariorum accidit, qui impetum*  
*verborum assequi non potuerunt. Quod simul*  
*inspiratus desisset, dictorum intercideret memoria*  
*& vanesceret.*

Hæc illi auctores : qui in eo conueniunt quidem, quod ambo Sibyllam non proprio ingenio, sed numinis aut genii instinctu, versibus, quæ futura essent, cecinisse fatentur; discordant vero, quod Justinus de Sibylla, ut de erudita muliere loquatur, dum hanc, quos per furorem alienata mente versus fudisset, potuisse ad se reuersam, si memoria eorum duraret, emendare dicit : & quia dictorum memoria cum furore caderet, mansisse eos versus multis locis inemendatos, rudes, incultos; Hesychius autem videtur opinari, nihil hanc extra furoris impetum & numinis afflatum potuisse, quippe arte omni versificatoria carentem : quam si habuisset, profecto quos vaticinantis ab ore notarii excepissent, emendare ipsa atque ad meliorem compositionis modum redigere potuisset. Nec leuis ex hoc Hesychii loco contra Justinum difficultas exoritur. Vel enim aderant Sibyllæ vaticinanti, qui quæ diceret notis exciperent ; vel prorsus nulli : si illud verum est, non video, cur non potuerit furore transacto, quos furens versus pronunciaasset,

emem-

emendare, etiamsi horum non posset recordari, cum possent ex notariorum libris restituvi integri atque representari; si autem nulli aderant qui exciperent, ipsa autem quæ dixisset furens post furorem sibi in memoriam reuocare nullo modo posset, qui potuerint versus illi fatidici ad posteros manare?

Hæc dubitatio cum solui non possit, tenenda omnino est Plutarchi sententia; qui in libro toties citato de Pythiæ oraculis Sibyllam fuisse eruditam censet, utpote a Musis in Helicone educatam. ὅμοια δὲ τὸν Σίβυλλαν επειδὴ γένεται ἐσημεν καὶ τὴν πέτραν γενόμενοι ἡνὶ καὶ τὸ βθλευτήριον, ἐφ' ἣς λέγεται κατιζεῖσθαι πεῶτον τὴν Σίβυλλαν, ἐκ τῆς Ελινῶνος ὁ Δρυς νομένην, τῷ τῶν Μασῶν τεαφεῖσαν. id est, *Similia item de Sibyllinis (supple oraculis:)* nam cum nostrum quisque ad petram curie vicinam accessisset, atque consedisset, eam, cui primum insedisse fertur Sibylla, postquam eo venit a Musis *educata* &c. Quod enim hanc a Musis educatam dicit, & ingenio aptam, & studio ad versus scribendos promptam fuisse putandum est. Si quidem absurdum est, aliquem educari a Musis, cuius non ingenium a natura probe sit comparatum ad eas artes tractandas, quarum Musæ præsides dicuntur. Nam neque aliter intelligimus aliquem aspici a Musis nascientem, aut videre Musas interdui aut in somnis sibi apparentes, quam talem *commodè a natura*

natura ad poeticam esse factum. Hoc etiam modo Horatii illa intelligo:

*Quem tu Melpomene semel*

*Nascentem placido lumine videris &c.*  
 tum quod narrat Hesiodus initio Θεογονίας, si-  
 bi aliquando apparuisse Musas in Helicone oues  
 pascenti: & quod Persius in prologo negat, se  
 sibi videri esse poetam, quod in bicipiti un-  
 quam somniasset Parnasso non meminisset. Quæ  
 per figuram dicta intelligendum est, ad signifi-  
 candam animi indolem poeticam, aut alienam  
 a Musis.

His consentaneum est, non ore tantum, &  
 inconsulto impetu, & per furorem eos versus  
 fatidicos expressos Sibyllæ, vt Justino martyri,  
 & Hesychio, aliisque multis visum est; sed ipsam  
 scripsisse manu propria oracula sua, eo stilo,  
 qui iis conueniret, hoc est, poetico, cum poe-  
 ticæ artis perita esset. Nec tamen scripsisse si-  
 ne genii instinctu, sed hunc socium scribundis  
 oraculis habuisse. Neque enim putandum,  
 eiusmodi furore correptam futura enunciasse,  
 qui mentem illi omnem sic excuteret, aut ar-  
 tis usum interciperet, vt eo furore transacto  
 non posset reminisci eorum, quæ furens prædi-  
 xisset: sed quo animus dumtaxat illuminare-  
 tur. Quo pacto sanctos Hebræorum prophe-  
 tas ad vaticinandum impulsos credimus, sen-  
 sibus integris, memoria incolumi, iudicio con-  
 stanti. Quod de Sosipatra dæmonum alumna

muliere

muliere tradit Eunapius: quam nobis σωφρόνιος ἐν θεοῖς οὐ δημοσίου depingit. Quod autem Sibylla & poetices perita, & manu propria, quæ vellere scribere posset, testatur Pausanias in Phocicis de Herophile, ipsamet Sibylla, de qua loquimur; dum hanc hymnos in Apollinem scripsisse refert. Δήλιοι ἡ καὶ ὑμνῶν μέμνηται Ἱησοῦς αὐτοῖς ἐξ Απόλλωνα.

Neque obstat, quod quidam versus in Sibylle oraculis non satis ad exactam metrices legem exacti occurrunt: cum & apud Homerum tales reperiantur, partim αἰνέ φαλοι dicti, cum quid deest initio, ut in hoc:

Ἐρέντες καὶ ζέφυρος &c.

partim μείχεται, cum in fine: quasi excaudatos aut cauda mutilos dicas; partim redundantes initio aut in fine; vel etiam κολοθετέοις mutilos, si in medio deficiat: ut alia compositionis metricæ vitia omittam, quæ critici in poetarum principe obseruant: Ut in primo versu Iliados, qui scandi non potest:

Μῆνιν ἀειδε θέα Πηληϊάδεω Αχιλῆος.

quæ tamen Homerus ad mensuram reuocare neglexit, cum posset. Nempe viro illi diuino & maximarum virtutum sibi conscio indignum maiestate sua visum, ad hæc minuta & plane grammatica descendere, aut suspicionem præbere, tanquam in leuibus reprehendi metuisset. Ita Plutarchus de illius versus αἰνεργίᾳ iudicat in libro de ratione, qua quispiam se in virtutis studio

studio profecisse deprehendat: Ομηρος ἦ τὸν πέπτον ἢ διηγέχει τῶν σίχων ἀμετρού εἰσενέγκων τοστὸν τοῦ οὐρών Φεγυήματος εἰς τὰ λοιπὰ διὰ τὴν δύναμιν. id est, At vero Homerus non dubitauit primum suorum versuum sinere in lucem prodire immodulatum: tanta illi ad reliqua poematis virtutis fiducia superfuit. Si virtutis abundantia & fiducia obstitit Homero, quo minus ubique mensuræ in versibus fundendis haberet rationem: quanto magis decuit Sibyllam, quam apte semper versus caderet, securam esse in oraculis.

## CAPVT XIII.

*Quod Sibylla haud notariorum siue librariorum opera, sed propria manu carmina sua scripserit; ac scripto potius quam voce, quæ nosset de futuris, expromeret.*

**Q**uod ergo non usquequaque elaborati sunt ac perfecti Sibyllæ versus, non hæc causa est, quam memorati auctores opinantur, eorum quæ in afflato expressisset obliuio, sed incuria & contemptus emendationis: neque verum est, cecinisse hanc tantum, non scripsisse. Reuera enim oracula sua composuit, ac literis ipsa consignauit, variis, apud quas versabatur, gentibus

A a

atque

atque ciuitatibus custodienda , cum & poetria  
esset & vates. Quo etiam discrimine distin-  
guitur a Pythia Apollinis Delphici sacerdote.  
Huic namque, cum indocta esset, vt supra ob-  
seruabamus , omnino opus erat notariis , qui  
furentis verba exciperent : vtpote cuius poesis  
tota ab afflatu penderet , quo transacto , neque compon-  
nere aut emendare potuisset. Ita ad nihilum  
eius vaticinatio rediisset. Aut igitur vatici-  
nium ab iis ipsis , qui hanc consulebant , per  
notarios excipiebatur , aut ipsi postea audita  
memoria repetentes chartæ mandabant , vt do-  
mum referrent. Ita quidem de quodam ora-  
culo Atheniensibus reddito tempore belli Per-  
sici exponit Herodotus lib.7. Ταῦτα σφι (ηπω-  
τερα γδ τὸν αρχέρων καὶ ἦν καὶ ἐδόκεε εἰναι)  
οὐχεργάμενοι , ἀπαλλάσσοντες τὰς Αἴγας .  
id est , *Hec cum mitiora viderentur responsa ,  
postquam scriptis mandarunt , Athenas sunt pro-  
fecti.* De iis loquitur , quos Athenienses mi-  
serant Delphos sciscitatum de vitanda clade ,  
quæ a Persis imminebat. Hinc quorundam  
suspicio , non prolatos a Pythia eos versus , sed  
a peritis factos , qui responsa sine arte edita ,  
postea numeris additis ad versuum formam re-  
digebant. Plutarchus de Pythiæ oraculis :  
πολλῶν δὲ ἦν ἀκτεν , οἵ ποιτινοί θυες ἀνδρες  
ἐκδεχόμενοι τὰς Φωνὰς , καὶ ταύτας λαβάνοντες ,  
ἔνι καί ηντας τῷ το κεντητεον , ἔπι , καὶ μέτρα  
κε

ρητορίδης, διον ἡχεῖα (ita enim scribendum pro ἡχεῖα) τῶις χρησμοῖς ἢ τῷ περιτυχόντος θεῖπλέκοντες. id est, Sed & multos audire erat, qui dicerent, nonnullos artis poeticæ peritos viros etiamnum sedere apud oraculum, qui voces exciperent, iisque stylum heroicum, metra & rhythmos, cœu vasa sonorem edentia, oraculis in ipso temporis articulo circumponerent. Quam tamen suspicionem vanam fuisse docet Plutarchus, communī eruditorum consensu; quo constat, fuisse tempus, cum Pythia versibus responsa ederet: vnde occasio Plutarcho disputandī in eo libro, quod eius tempore, immo multò ante, desisset Pythia modulatas edere voces.

Secus dicendum de Sibylla; quam versibus semper vaticinatam constat. Verum hæc cum poetices perita esset, aliorum ministerio ad suas prædictiones literis mandandas non vtebatur, sed ipsa in otio & secessu, cum se numine afflari sentiret, eius impulsu ad oracula scribenda se componebat. Immo non erat mos eius voce oracula reddere, sed scripto potius: quemadmodum ex Virgilio colligi potest, cum Æneam Heleni monitu inducit rogantem Sibyllam, ut sibi fata sua viua voce expromeret, non autem, ut solebat, in foliis scriberet.

Tantum foliis ne carmina manda,  
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis:  
Ipsa canas, oro.

Quorsum autem spectet, quod in tertio Æneidos habet, de eiusdem consuetudine scribendi responsa in foliis arborum, quæ in ordinem disposita integrum oraculi sententiam sciscitantibus exhiberent legendam, sed quam nemo tamen ex iis assequi posset, priusquam scriptura legeretur, Sibylla excedens simul ianuam aperuisset, ventus irrumpens foliorum illam compositionem de improviso turbaret: quid, inquam, sibi tali figmento velit, non est facile explicare; nisi forte hac sermonis ambage oraculorum perplexitatem insinuare voluit. Quemadmodum in vanitatem somniorum eadem imagine in sexto eiusdem operis lusit, vlmum describens, medio orci in limine opacam, ingentem, cuius sub foliis omnibus hærerent somnia:

*In medio ramos annosaque brachia pandit  
Vlmus opaca, ingens: quam sedem somnia  
vulgo*

*Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus  
harent.*

An igitur & illic Maro, vt Epicureus, (qui fuisse creditur) responsa in foliis solitam scribere Sibyllam fingit, vt non minus vana illa esse, atque insomnia, ostenderet? quippe quibus eadem atque illis sedes, caduca arboris folia. Tametsi enim & hoc loco sexti Æneidos, & in tertio, tum in quarta ecloga, egregie Sibyllini carminis diuinitatem commendat; sci-

mus

mus tamen hunc poctarum esse morem, vt in suis poematis nullius se doctrinæ finibus contineri patientur, sed libere, quo eos rapit ingenii tempestas, ferantur: modo in Academiam, aliquando in Lyceum, nonnunquam in Porticum, interdum in Epicuri hortos, omnium placita sectarum in suis operibus notari ambitiosius affectantes. Ut in præsenti loco Epicuri opinionem, diuinationem omnem explodentis: verum oblique & figurate: non ut eam doctrinam probaret, sed ne silentio præteriret.

Nec me interea fallit, proditum a Varrone, Sibyllam solitam vti foliis palmarum: ita enim testatur Seruius Maronis interpres. Symmachus autem in epistola quadam libri quarti ad Protadium, hanc oracula sua in linteis scripsisse refert. *Et Martiorum quidem vatum (inquit) diuinatio caducis corticibus inculcata est.* *Monitus Cumanos* (sive Sibyllæ Cumææ) linta texta sumpserunt. Vbi linta texta intelligit linteos libros: quales olim sub Imperatoribus asseruatos in Vlpia bibliotheca ex Vopisco discimus in vita Aureliani; quem ait jussisse, vt sua Quotidiana, quas scilicet Græci ephemeridas vocant, in libris linteis scribe-rentur. Ita quibus in foliis vaticinia consignaret Sibylla non satis exploratum habemus, palmæ, an papyri, an aliarum arborum; neque omnino qua in materia. Hæc tamen de

scriptione & libris Sibyllæ silentio premenda non putaui.

Cæterum notis etiam Sibyllam significasse futura, idem Seruius ad tertium Æneidos tradit; & ita hæc Maronis verba exponit:

*foliisque notas & nomina mandat.*

*Tribus* (inquit) modis futura prædicta: aut voce, aut scriptura, aut signis: id est, quibusdam notis, ut in obelisco Romæ videmus; vel, ut alii dicunt, notis literarum, ut per unam literam significet aliquid. Ex his tribus prædicendi modis duos priores, vocem scilicet & scripturam, omnes agnoscunt; scripturam in primis, quam illi magis familiarem fuisse ostendi; de tertio modo ambigi potest. Quas notas intelligat, satis declarat, cum eius generis censet, cuius quæ Romæ in obelisco visebantur. Has enim fuisse hieroglyphicas, hoc est, animalium aliarumque rerum effigies & sculpturas, ex Plinio constat: qui lib. 36. cap. 8. has Ægyptiorum literas, hisque obeliscos conscriptos fuisse, testatur. *Primus omnium id instituit Mitres,* qui in Solis urbe regnabat, somnio iussus: & hoc ipsum inscriptum in eo. Etenim sculpturæ illæ effigiesque, quas videmus, Ægyptia sunt literæ. Et cap. 9. de obeliscis duobus, qui Romam ex Ægypto translati, tradens: *Is autem obeliscus,* quem diuus Augustus in circo magno statuit, ex eis est a rege Semneserteo, quo regnante Pythagoras in Ægypto fuit; centum viginti quinque

que

que pedum, & dodrantis, præter basim eiusdem  
 lapidis: is vero qui est in campo Martio, nouem  
 pedibus minor, a Sesostride. Inscripti ambo rerum  
 naturæ interpretationem Ægyptiorum opera phi-  
 losophia continent. Et hoc, inquam, dubium  
 est, fuerintne eæ notæ hieroglyphicæ Sibyllæ  
 in usu; cum eiusmodi scribendi usum Ægyptio-  
 rum proprium fuisse constet, non autem Græ-  
 corum. Græcam vero genere fuisse Sibyl-  
 lam, & græce scripsisse, supra abunde ostendim-  
 us. Non est autem verisimile, Græcam va-  
 tem Ægyptiis notis & hieroglyphicis usam fui-  
 se. Quorsum enim? ad velandas prædictio-  
 nes? quasi dictionis perplexitas communis o-  
 mnibus prophetis non sufficeret. Mihi qui-  
 dem verisimile non fit. Nec magis probabile  
 de altero notarum genere: cum scilicet ali-  
 quid per unam literam significatur. Is modus  
 scribendi enim inuentus est potissimum ad  
 quam celerrime excipiendas loquentium vo-  
 ces, ideoque in usu ταχυγέδων, hoc est, no-  
 tariorum. Sed & ad rerum scriptarum occul-  
 tationem: cuius plures modos videre licet  
 apud Cardanum lib. 12. cap. 61. de varietate  
 naturæ. Si quidem nullum extat exemplum  
 vatis, qui talibus notis futura expresserit. Ut  
 omittam, non potuisse iis uti Sibyllam; si ve-  
 rum est, harum inuentorem fuisse Tyronem  
 Ciceronis libertum, aut, ut alii dicunt, Mæ-  
 cenatem. Sed de poesi & stylo Sibyllæ hacte-  
 nus: nunc de Sibyllæ librīs.

CA-

# CAPVT XIV.

## *De antiquis & genuinis Sibyllæ libris. Quid sint Operæ Apollinis.*

**H**Orum duplex genus distingui potest : antiquorum, & recentiorum. Antiquos voco, quos veteres Græci & Romani habuerunt ; recentiores, quos posterior ætas inuexit. Prioris generis centum Seruius Grammaticus agnoscere videtur , eumque numerum indicari his Maronis verbis in antri Sibyllæ descriptione :

*Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum,  
Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum:  
Vnde ruunt totidem voces, responsa Sibyllæ.*

Ita igitur Seruius ad tertium Æneidos : *Sane sciendum, omnia responsa Sibyllæ plus minusue centum non contineri sermonibus.* Vnde Virgilius ait : *quo lati ducunt aditus centum &c.* Item in sextum Æneidos ad citatos versus ; *Ostia centum.* Finitus numerus pro infinito : licet & possit rationabiliter dictum esse. Responsa enim Sibyllæ in hoc loco plus minus centum sermonum sunt. Obiter dicam : restituenda sententiæ negatio non , vt in priore loco , sic : *Responsa enim Sibyllæ non plus minus centum sermonum* ; aut certe delenda e priore loco. Si cum negatione malumus legere, sensus erit : centum omnino fuisse Sibyllæ responsa ; non plura aut pauciora. Subdit Seruius : *Inueni-*

*untur*

unitur tamen Apollinis elogia (scribelogia, id est, oracula) & viginti & quinque & trium sermonum: vnde & melius est finitum pro infinito accipi. Ita parum certus ille videtur de Sibyllæ librorum numero: si tamen sermonum & responsorum nomine libri intelligi debent.

Cæterum Lactantius lib. i. cap. 6. cum plures Sibyllas agnosceret, singulis suum librum attribuit: *Et sunt singularum* (inquit) *singuli libri: qui quia Sibyllæ nomine inscribuntur, unus esse creduntur: suntque confusi, nec discerni ac suum cuique assignari potest, nisi Erythrææ. &c.* Vnus igitur Sibyllæ liber dumtaxat, si vna tantum fuit Sibylla, quod nos volumus. Immo plures eiusdem libri, quot scilicet fuisse Sibyllæ dicuntur: si quidem, eodem Lactantio teste, Sibyllæ nomine omnes inscripti erant, ideoque crediti vnius esse, cum essent confusi, neque horum esset diuersitas, qua discerni possent. Quod & Lactantius ipse credidisset, nisi illi, quominus verum fateretur, anticipata opinio de multitudine Sibyllarum prodita a Varrone obstitisset. Ita igitur ipius Lactantii verbis, contra eius sententiam, verisimiliter ostendi potest, decem fuisse a Sibylla conscriptos oraculorum libros. Sed bonus earum rerum auctor Fenestella mille tantum circiter Erythrææ Sibyllæ versus ex Asia Romam allatos tradit. Quare non absurdum

fuerit putare, non pauca supposititia & notha Sibyllinis iam tum fuisse inserta.

Porro ex iis versibus, siue Pythiae, siue Sibyllae, alii erant reconditi neque in vulgus prolati, alii editi & mundo noti. Quæ diuisio non modo de libris fatalibus usurpata, sed etiam aliis multis honorum auctorum. Nam & in philosophia Platonis & Aristotelis compertum habemus, quædam fuisse ἀπόκευφα & ἀνένδοτα, solis eruditis scripta, ideoque in occulto habita. Haud aliter apud antiquos arcaña quædam vaticinia Pythiae & Sibyllæ fuisse putandum est, in templorum adytes & archiuis reposita, ad perpetuitatem. Quo in genere ponenda fortasse quæ Marcus Tullius *operta Apollinis* vocat, in primo de diuinatione, his verbis: *Eodem modo multa a vaticinantibus sepe predicta sunt: neque solum verbis, sed etiam versibus, quos olim Fauni vatesque canebant. Similiter Marcus & Publicius vates cecinisse dicuntur.* Quo ex genere *Apollinis operta prolata sunt.* In secundo etiam libro eiusdem tractationis eorundem mentionem facit: *Eodemque modo, nec ego Publicio, nescio cui, nec Marciis vatis, nec Apollinis opertis credendum existimo: quorum partim facta aperte, partim effutata temere, nunquam, ne mediocri quidem cuiquam, non modo prudenti, probata sunt.* Huiusmodi arcaña oracula penes Veientes fuisse idem auctor citato primo de diuinatione libro tradit, ideoque

que in opertorum Apollinis ordine habenda; quæ non fuisse facta neque friuola, vt ille Academicorum ritu in vtramque versans partem disputat, euentus ostendit. Ita igitur ibi scriptum est : *Quid, quod in annalibus habemus, Veienti bello, cum lacus Albanus præter morem creuisset, Veientem quandam ad nos hominem nobilem profugisse, eumque dixisse, ex fatis, que Veientes scripta haberent: Veios capi non posse, dum is lacus redundaret, & si lacus emissus lapsu & cursu suo ad mare profluxisset, perniciosum populo Romano; sin autem ita esset eductus, ut ad mare peruenire non posset, tum salutare nostris fore.* Et paulo post : *Cum autem Veientes bello fessi legatos ad Senatum misissent, tum ex his quidam dixisse dicitur: non omnia illum transfugam ausum esse Senatui dicere; in iisdem enim fatis scriptum Veientes habere, fore ut breui a Gallis Roma caperetur.* Quod quidem sexennio post Veios captos factum esse videamus.

Hæc quis facta dicat, quæ manifestis rebus vere fuisse præuisa & prædicta euentus ostendit? Itaque vel hoc exemplo indubitate confirmari potest, quod supra dicebamus, de scientia dæmonum: neque hos ita esse ab omnium diuinis commercio & societate remotos, vt non ad eos inde crepuscula & fulgores quidam futurorum indices, moderante Numinis prouidentia, perueniant. Multa quoque apud Græcos

Græcos auctores occurunt, quæ ad hæc Apollinis operta merito referuntur. Ut quæ Herodotus in Terpsichore de oraculis a Pisistrati posteris Athenis in arce relictis tradit : ἐκτίσατε δὲ οἱ κλεομένης ἐκ τῆς Αἴγυπτιον αἰερπόλιος τὰς χερσαὶς, τὰς ἔκπητο, περάστε σὺ μὲν οἱ Πεισιθεοπίδαι, ἐξελαυνόμενοι ἢ ἐλιπον τὸν τῷ ιερῷ. id est, Cleomenes autem in manibus babebat oracula, sumpta ex arce Atheniensium, quæ prius erant penes Pisistrati posteros, ab iis autem, dum urbe expellerentur, relicta ibi fuerant. παλαιὰς autem χερσαὶς, antiqua oracula vocabant : quod epithetum quoties occurrit, de opertis Apollinis intelligendum est. Sic apud Plutarchum in Agesilao Diopithes ille, cuius supra mentio habita est, vir χερσμολόγος, oraculorum peritus enarrator, μαντεῖων παλαιῶν πούπλεως, plenus, suffertus veterum vaticiniorum dicitur : quæ scilicet studiose in templorum archiuis scrutabatur, atque inde effossa in lucem suo tempore proferebat ; vt illud de regno claudicante, in altercatione Agesilai & Leotychidæ. De quo genere oraculorum insignis in primis locus eiusdem Plutarchi in Lyandro : ἄλλον τε λόγον ἐκ Δελφῶν αὐλικοίσιντες εἰς τὴν Στάρστην ιατέαλον ηγήδιεσσερανώς ἐν γεδιμασιν διπορρήσις Φωτὸν τεντιερέων Φυλάττων παμπάλαιοι δή θινες χερσμοι, ηγήλαβεν τοντοντες τετράσις, 8δ' ἐντυχεν θεματον, ει μή τις ἅρε γεγονώς εξ Απόλλωνος αφίκοι. id est,

Tum

Tum alium insuper Delphis sermonem transmis-  
sum in vulgus Lacedæmoni spargebant ; quod sci-  
licet vetustissima oracula arcanis libris prescripta  
apud sacerdotes seruarentur , que nec ipsis fas  
esset promere , aut illa inspicere , sed alicui tan-  
tum , qui Apollinis stirpe editus esset , si eo se conser-  
ret . Neque obstat , quod istud oraculum ,  
quod tunc pro vero & antiquo prolatum fuit ,  
ab antistitibus & ariolis , qui Lysandri parti-  
bus fauebant , confictum fuisse non dubitatur .  
Sufficit nobis , quod vetera oracula ἐν Διορρή-  
γίσ γέραματων , in reconditis libris archiuis-  
que templorum fuisse , ex hoc loco pateat . Ne-  
que enim is sum , qui omnia eius generis vera  
fuisse pertendam : multa enim fuisse falsa non  
dubito ; omnia , incredibile est : aut nullam  
priscis Græcis fuisse religionis curam , nullam  
Romanis , omnia sine dispectu sine iudicio re-  
cepisse , quæ vates & sacerdotes proponerent ,  
fatendum . Quod de acutissimis prudentissi-  
misque gentibus putare captum excedit naturæ  
humanæ . Non solum rectores ciuitatum , re-  
ges , imperatores , iis oraculis prisci fidem ha-  
bebant , sed & philosophorum doctissimi , qui  
bus imponere non fuisset facile . Quo in nu-  
mero & Porphyrius , ut supra a me notatum , adeo  
persuasus fuit de veritate antiquorum oracu-  
lorum , vt inde capta opportunitate libros de  
methodo philosophandi ex oraculis non dubi-  
tauerit scribere .

Hæc

Hæc igitur sunt opera Apollinis , partim vera , partim ficta & supposititia , sed ita ut fraus non lateret : vt qua vsum Heraclitum in poesi occultanda in Diana fano refert Tatianus in oratione contra Græcos : ἐτέλεσθαι τοις πόνοις τῷ τῆς Αρτέμιδος ναῷ μυστηριώδῶς , ὅπως ὕστερον ἡ τάυτης ἔνδοσις γένηται . id est , Neque laudauerim Heraclitum , qui in templo Diana abscondit poesim suam , ut postea hec rei mysticæ in modum proferretur in lucem . Ex quo patet , philosophos sua scripta in templis condidisse : quod dum Heraclito exprobrat Tatianus , seu ambitione ad id faciendum impulso , inscitiam aut malignitatem suam prodit . Ignorat enim , hunc veterum morem fuisse , vt sua scripta in templis deponerent : neq; eo consilio , vt posteris veneratiōni essent , tanquam consecrata , sed quod ea tutius in loco religioso reponi arbitrarentur . Sic Galenus initio libri primi de compositione medicamentorum per genera , volumina eius argumenti Romæ ab se in pacis delubro cum aliis multis recondita fuisse dicit : quibus eius ædis incendio consumptis , coactus fuerit alia nouis vigiliis , amicis id postulantibus , substituere , cum nulla priorum apud amicos exemplaria extarent . Nec secundus poetas solitos , Augusti æuo , sua poemata ad perennitatem deponere in Palatini Apollinis templo , ex Horatio discimus in epistola ad Julium Florum :

Quid

*Quid mihi Celsus agit? monitus, multumque  
monendus,*

*Priuatis ut querat opes, & tangere vitet*

*Scripta, Palatinus quecumque recepit Apollo.*

Eundem morem & seculo Homeri obtinuisse colligo ex Platone, qui Homeri διάλογος Ἐπη, hoc est, opera & recondita carmina citat in Phædro.

## CAPVT XV.

*De vulgatis Sibyllæ oraculis: & de  
quodam ænigmate, quod in illis  
libris inuenitur.*

**S**upersunt alia oracula, quæ Sibyllæ nomine passim circumferuntur, octo libris comprehensa. De his vetus inter eruditos est contentio, veterane sint Sibyllæ vaticinia, an falso illi adscripta. Multi vera esse censent & amplectuntur. Quo in albo est in primis Sebastianus Castalio, qui eos libros Σιβυλλαῖς χεροσμῶν versione & notis illustrata edidit, Xystus Betuleius, M. Antonius Antimachus: cuius præfatio ad eos libros græce scripta extat; quibus recentiores alii complures subscripserunt. Alii omnino hæc a Sibylla profecta inficiantur. Ego vt omnia, quæ iis libris continentur, nota esse non ausim contendere, sic neque omnia sine discrimine pro veris amplexi.

plecti. Signanda hæc sunt linea alba, neque committendum, vt vana attoniti religione, quia quædam in illis libris laudata a Patribus, & nomine Sibyllæ reperiuntur, propterea & hæc & alia genuina eius effata credamus. Quis enim, quæso, (vt inde censuram hanc ordiar) veterem Sibyllam, de qua tam multa hactenus ex veterum monumentis expressimus, eorum auctorem dicere audeat, quæ in primo sermone de vnius Dei principatu, de mundi creatione, hominis primi ortu & constitutione, paradiſo, priorum hominum vita longa, artium inuentione, & aliis, Mosis historiæ propheticæ consentanea leguntur; & non potius ab aliquo Juðæo conficta, vel potius a Christiano: hoc consilio, vt quæ postea de Christi aduentu, & mysterio redemptionis humanæ, eiusdem Sibyllæ nomine dicturus esset, fidem facilius inuenient? In quibus & illud de Dei nomine ænigmæ occurrit, quod eruditorum ingenia multiformi coniecturarum ambage hactenus torfit, & tale est:

Ἐννέα γεάμματ' ἔχω, τετρασύλλαβός εἰμι,  
νόει με,

Αἱ τρεῖς αἱ πεωταὶ, δύο γεάμματ' ἔχον  
ἐκάστη,

Η λοιπὴ ἡ τὰ λοιπὰ, καί εἰσιν ἀφωνα τὰ  
πέντε.

Τῷ παντὸς δὲ δέιδυτος ἐκατοντάδες εἰσὶ δις  
οκτώ,

Kai

Kai τρεῖς τρεῖς δεκάδες, οὐν γέπιται γύρος δέ  
της εἰμι,

Oὐν ἀμύνης ἔστη θεῖν παρ' ἐμοὶ γε οὐ φίνε.  
Sic autem hos versus latine vertit Castalio:

Sunt elementa nouem mihi, sum tetrasyllabus  
autem:

(Percipe me) primæ tres syllabæ efficiuntur  
Ex binis omnes elementis: cætera restant  
In reliquis: quorum sunt non vocalia quinque.  
Totius numeri bis sunt hecatontades octo,  
Et ter tres decades, cum septem. Si scieris  
me,

Non re, qua potior, sapientia dia latebit.

Quis credat antiquæ Sibyllæ esse hæc? Primum  
Deus est, qui loquitur, Noah autem patriarcham  
mox arcā ingressurum alloquitur: tum hæc lo-  
quens inducitur, quæ apud Esaiam prophetam  
legimus pàrua immutatione. Ita enim ibi  
cap. 66. Deus loquitur: Cælum sedes mea, ter-  
ra autem scabellum pedum meorum. Quæ  
Pseudo Sibylla his verbis exprimit:

Οὐρανὸν ἐνδέδυμα, ὥξελημα γέ θάλασσαν

Γαῖα δέ μοι σήργυμα ποδῶν.

id est,

Cælum pro vestitu gero, & mari ut inuolu-  
cro & pallio utor,

Terra autem fulcrum est pedum meorum.

Sequitur ænigma, de quo agitur nunc,

Εὐρέα γεδύματ' ἔχω &c.

Hoc igitur de Jehoua, quod nomen est ineffabile Dei apud Hebræos, quidam interpretantur; Joannes autem Picus de Messia nomine dictum existimauit. Ita quidem Leo Suauius habet in præfatione ad scholia sua in libros Paracelsi de vita longa. Quem virum laudare minus piget, vt eruditum; alioqui nimis superstitionis & nugis Paracelsicis atque magicis addictum. Ibi ita refert: *Joannes Pantæus Venetus in libro Voarchodumæ ænigmatico, Jehoua interpretatur, quod Joannes Picus nomen futuri Messiae existimat: ille ad cymiam suam detorquet. Vim inferat, nec ne, iudicio prudentum relinqu.* Mihi eum auctorem ignotum esse fateor, solum ex titulo & verbi monstru, quo librum suum inscripsit, velut ex vngue, quod dicitur, leonem, hominem inepte ambitiosum & in literis circulatorem olfacio.

Cæterum longe diuersam eiusdem ænigmatis interpretationem affert Cardanus lib. 10. de rerum varietate cap. 52. quam se habere ab Emaro Ranconeto in Senatu Parisiensi praeside, testatur. Nempe quæ illo ænigmata traduntur, ad amussim in ἀριγμητού, quod latine *aripigmentum* dicitur, metallici genus, conuenire demonstrat. Quam demonstrationem non fuit consilium hoc transferre, utpote prolixiorem. Satis sit locum studiosis indicasse. Illud non præteribo, quod ad enarrationis illius auctorem attinet: quippe hanc citato loco

Carda-

Cardanus Emaro Ranconeto adscribit acceptamque fert. *Cum* (inquit) *in hos sermones incidisse*, probari hanc artem (chrysopoeiam, cuius periti iactant se metalla in aurum conuertere) illustris *Emarus Ranconetus* præses *Lutetianus* demonstrauit carmine *Sibyllino*; adeoque ad amissim, ut cum ambigua soleant esse talium responsa, bac in causa clariora solis luce ænigmatis verba fuisse videantur. Itaque quæ ille doctus vir miro expressis artificio, prout ab illo accepi dum *Lutetia* essem, subiungam. Nihil clarius: aperte enim dicit, se accepisse, cum *Lutetiae* esset, eius ænigmatis demonstracionem ab *Emaro Ranconeto*.

Nunc Leonem Suavium citato loco se se eius demonstrationis auctorem primum profitem, ac eam ceu proprium inuentum vindicarum iure repetentem, audiamus. *Sic nos* (inquit) *per lusum adolescentes adhuc, versibus Sibyllinis græcis de diuino nomine, vocem græcam dogmatis accommodauimus*: in quo omnia pulchre conuenire videbantur. Nempe nouem literæ, quatuor syllabæ, tres prime duarum singulæ literarum, reliqua reliquarum, id est, trium, mutæ quinq[ue] et semel sumpto, vocales ergo quatuor. Restat in numero, qui ex literis colligitur, difficultas: quam enarrauit *Emarus Ranconetus*, vir apprime doctus, *Cardano*, cum ab *Emilio Pereto*, viro eruditissimo atque integerrimo, accepisset, qui in his artibus disceptandis mecum maximam

nam voluptatem capiebat. Id enim qualemque est, inuentum est meum: ut libellus ille noster fidem facit. Exinde ad Cardani tractationem transit, quam *variam & maculosam* appellat: inscitiae etiam arguit in arsenico & auripigmento, quæ Cardanum ait distinxisse, tanquam res diuersæ his vocabulis significantur. Verba Cardani hæc sunt: *Accedit illud, quod res ipsa verbis & nominis expositioni congruit, ut alias docuimus: nam & arsenico æs in argenti similitudinem transit, & in auripigmento aurum continetur.* Ex his igitur verbis arguit, Cardanum falso putasse, arsenicum esse diuersum ab auripigmento; cum hæc nomina solo linguarum discrimine differant: quod enim Græci *δέσμινὸν* vocant, Latini *auripigmentum* appellant. Sed hæc censura iniqua est. Neque enim sic locutus Cardanus, quod hæc nomina rerum diuersarum putaret; sed cum duo arsenico tribuat, vnum quod in argenti similitudinem transeat, alterum quod in se aurum contineat, hoc posterius exprimere volens, vocis latinæ commoditate vtendum censuit, propterea quod & in ipsa aurum continetur, vt pote composita ex duobus nominibus, *auro & pigmento.*

Hæc autem de illo ænigmate referre visum est, vt appareat, multa in illis Σιβυλλαῖς libris inserta esse nota, quæ nemo sanus Sibyllæ adscribere audeat. Si enim verum est, quod

memor-

memorati viri docti putarunt, ænigmate illo significari arsenicum, vt materiam opportunam chymicis ad aurum faciendum: quis satius mirari possit impudentiam nebulonis istius, qui hæc ausus sit Sibyllæ oraculis interponere, & quod maioris amentiæ est, Dei optimi maximi persona ad tales imposturas vti? Cum præfertim Deus ibi inducatur Noah patriarcham de mox futuro diluuio admonens, nisi homines resipiscant, adeoque illi imperans, vt ius proximam cladem & supplicium imminens denunciet: quod & facit. Statim enim ænigmati de auro faciendo subiungitur patriarchæ concio ad homines. Ut nihil magis ab eo negotio, quod ibi agitur, alienum & importunum dici possit ænigmate. Tametsi istud incongruens & inconditum defendit Cardanus, sed frustra. Ita enim hic citato loco: *In quo & illud mirum videri posset, quod tam procul vates abscedat a proposito. Sed hæc & maiora longe sunt vatum priuilegia, & maxime lymphaticarum & fanaticarum.* Esto. Fanaticis ius sit dissentanea & absonta miscere: num & Deus fanaticus, vt si loquens inducatur, dum de aliquo loquitur, statim sine ratione aliud nihil ad rem, de qua agitur, pertinens, atque remotissimum interponat? Ut omittam, quam sit alienum a tanta maiestate, docere homines artem auri efficiendi; quos non multos post

annos ob avaritiam, ambitionem, & alia vitia  
aquis submergere decreuisset.

Jam si non δρεπικὸν, (quod ridiculum di-  
ctu in oraculo) sed σωτῆρα θεός, *Seruator Deus*,  
in illis nouem literis continetur, vt Joannes  
Auratus, vir doctissimus, ariolabatur; non mi-  
nor sequitur ineptia & absurditas Sibyllæ, æni-  
gmate inuoluentis rem omnium manifestissi-  
mam. Quid enim manifestius, quid magis  
in confessio apud omnes mortales, quam De-  
um conseruare & tueri omnia in vniuerso?  
Quid hic opus ambagibus, quid obscuritate  
sermonis, ad id tegendum, quod velis nolis  
parens rerum natura explicat, quod cæli enar-  
rant, elementa loquuntur, inanimata pariter &  
animata indubitatis documentis persuadent?  
Vnde enim philosophi hanc doctrinam, nisi  
ab ipsa natura hauserunt? in quibus & auctor  
libri de mundo ille quicumque est, cuius hæc  
in eo libro diuina extat sententia: Σωτῆρ μὲν  
ἡδὸνῶς ἀπάντων ἔστι, καὶ γενέτωρ τῶν ὄπωσ-  
δήποτε καὶ τόνδε τὸν κόσμον συντελεύμενων, οὐ θεός.  
id est, *Etenim cunctorum, que rerum na-*  
*tura complectitur, cum seruator est Deus; tum*  
*vero quicumque in hoc mundo quoquo modo*  
*perficiuntur, eorum omnium idem genitor est.*  
Et in capite eiusdem libri vltimo inter multifa-  
rias Dei appellations, & epitheta, quibus in-  
digitatur, σωτῆρ περὶ ἐλευθέρος vocatur.

Quor-

Quorsum igitur ænigmate absconderet Sibylla, quod abscondi nullo modo potest? Cum præsertim rationi humanæ incomprehensa religionis christianæ mysteria, illaque altissima supremæ sapientiæ consilia, de restituenda in pristinam dignitatem hominis natura atque ab orco reuocanda, quanta nullus sanctorum vatum, orationis perspicuitate & diligentia plane historica expediatur.

Patet itaque ex his, neutram haruū explanationum attingere ad sensum ænigmatis. Non tamen continuo sequitur, nihil subesse ad sapientiam pertinens: quod negare non ausus Cardanus. *Si non hoc, (inquit) aliud quippiam Sibylla indicare potuit valde vtile.* Esto sane. Neque enim is sum, qui omnium, quæ in iis libris vulgatis Sibyllinorum continentur, nihil vere Sibyllinum esse contendam, sed veris multa falsa esse assuta.

## CAPVT XVI.

*An Sibylla de Christo prædixerit.*

**G**enuina autem illa a nothis & suppositiis discernere non cuiuis promptum. Qua de re pridem disceptatio inter eruditos mota est, de iis, quæ in memoratis libris plane christianæ & euangelica inueniuntur; num vere tam diuina scripserit Sibylla, an ei piorum

nebulonum fraude afficta, ex eorum secta, quos docti ethnici a Sibyllinorum carminum studio, & obiecta vbiique auctoritate, Σιβυλλαῖς vocabant? De hac quæstione, quamquam apud homines non socordes & eruditos profligata videri potest, ducente tamen tractationis Minerua ipsa & proposito, aliquid omnino attingere oportet. Sed paucis: quando, quæ mihi attentius rem mecum consideranti in mentem venerant, ab aliis occupata video. Quod autem ex iis omnibus, quæ hactenus de Sibylla exposui, præcipuorum auctorum ac totius antiquitatis firmata consensu, sequitur, quominus proferam, nulla me cuiusquam reverentia deterrebit.

Non mihi fit verisimile Græcam mulierem, ab infantia in gentium religione educatam, malis geniis & lemuribus deuotam & consecratam, eorum mancipium & familiare instrumentum, idolatriæ omnis, omnium impiorum superstitionum magistrum & antistitiam, electam fuisse a Deo optimo maximo, cui tota diuinitatis adyta & sacraria patefaceret, tantumque lucis supernæ infunderet, quantum nulli sanctorum prophetarum.

Enimuero Deum afflare quem vult, dicunt, & Balaami, deorum sacerdotis & pseudoprophetæ, exemplum adducunt: cui Deus, ut ex libro Judicum constat, illustre expressit de Christo vaticinium, & benedictionem populi electi,

electi, cum ad eum maledicendum ac diris deuouendum ab impio Moabitarum rege accitus & conductus fuisset. Scio : sed non eadem huius ratio & Sibyllæ. Illi ariolo inuito expressa est confessio aduentus Christi , quem stellam vocat , & ex gente Israelitica exoritaram dicit: quæ maxima non gentis illius tantum sed vniuersi generis humani benedictio fuit. Quid mirum, si consilii impietatem corrigit Deus? si maledictionem in benedictionem conuertit ? Hoc certe non ex proposito, neque secta, quam in operibus tenet, sed ex accidenti. Quo pacto fratrum consilium de Josepho in ipsius Josephi salutem, & vniuersæ eius domus, idem bonus Deus vertit. Hæc ratio Dei est, hæc sapientia , ex prauis hominum voluntatibus & factis nefariis bonos & longe utiliores proferre euentus atque opportunitates rerum magnarum ; secus fieri non permitteret. Ut paucis absoluam : conductus fuerat Balaamus ad maledicendum Israeli ; non impediuit Deus quin malediceret, solum cui malediceret ostendit. Impiis igitur idolorum cultoribus maledixit, & quod sequitur, populo Dei fausta, salutaria, gloria Numinis præpotentis instinctu præsagiit.

Quam dispar Sibyllinorum de Christo oraculorum ratio ? Qui enim sic de Christo est vaticinatus vt Balaamus, ex accidenti , paucis, & per ænigmata, idque inuitus, hunc merito

omnes solennium prophetarum catalogo expungendum putent; qui autem sic, ut Sibylla in vulgatis libris, quid quæso causæ afferri potest, cur verorum prophetarum, qui de Christi aduentu & rebus prædixerunt, non plane albo adscribi mereatur? Quid de regis Chaldæorum Nabuchodonosoris visione illa dicam, quam habuit dormiens, ingentis supra modum statuæ, quæ figura erat præcipuorum regnum mundi? nunquid egregiam continet de Christo vaticinationem? Postquam enim multiformem eius ex metallis diuersis structuram exposuit, subdit: *Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus: & percussit statuam in pedibus eius ferreis & fictilibus &c.* Omnes enim lapidem eum abscissum sine manibus, de extraordinaria Christi ex Judæorum gente citra viri operam procreatione interpretantur. Ita propheticum fuisse illud regis Chaldæi somnium non ambigitur: neque tam propterea prophetarum in numero habendus Nabuchodonosor, vt pote qui habuit tantum imaginem futuri, rerum alioqui & mysterii ignarus. Neque enim simplex imaginum informatio aut intuitus prophetam facit; sed earum, quas videt, imaginum significatio, cum somnianti aut videnti, quo spectent umbræ & simulacula manifestatur. Daniel vero ipse, qui quid somnium illud portenderet intellexit, & regi interpretatus est, vere prophetæ

phetæ munere functus est, adeoque prophetis  
annumerandus.

Idem de Sibyllæ oraculis dici non potest;  
quibus nihil expressius, nihil perspicuum magis  
& distinctum, cum omnia de Christo appositis  
circumstantiis definiat, haud secus atque Euan-  
gelistæ. Ut illa de Christi miraculis:

Καὶ τότε δὴ νοσερὸς ἴθησεται, ἥδ' Ἐπιμάρματος  
Πάντας, ὅσοι τέτω πάσιν ἐνὶ ποιῶσινται.  
Βλέψοντες τὸν Φλοί, αὐτὸς Βαδίστη τε χωλοῖ,  
Κωφοὶ τ' εἰσαΐσθοι, λαλήσθωσ' ἢ λαλέοντες.  
Δαιμόνας ἔχελάσει, νεκρῶν δὲ ἐπανάστασις  
ἔσοι.

Κύματα πεζεύσει, καὶ ἐξημάτω ἐνὶ χώρῳ  
Ἐξ ἀρτων ἄμα πέντε καὶ ἵχθυος ἐναλίοιο  
Χιλιάδας κορέσει πέντε, οὐδὲ τὸ λείψανα τέτων  
Δώδεκα πληρώσει κοφίνης.

Tum illud de iis, quas Christus passus a Ju-  
dæis, contumeliis:

Εἰς ἀνόμων χεῖρας καὶ ἀπίστων ὑστεροῦ ἔξει.  
Δώσοντες τὸν θεῶν ράπτισματα χερσὶν ἀνάγκαις,  
Καὶ σόμασιν μιαρῶισται πλύσματα Φαρι-  
νόεντα,  
Δώσει δὲ εἰς μάστιγας ἀπλῶς ἀγνὸν τὸ τε νῶ-  
τον.

item :

Καὶ κολαφιζόμενος συγίσει, μή τις ὑπηγνῷ  
Τίς, τίνος ὁν, πόθεν ἥλθεν, ἵνα Φθιμένοιος λα-  
λῆσῃ.

καὶ

Καὶ σέΦανον Φορέσαι τὸν ἀκάνθινον.

Πλευρὴ τε νύχουσιν καλάμῳ Διὰ τὸν νόμον  
ἀντῶν.

Qu  
tus  
pri  
eius  
nus  
mea  
pro  
cess  
que  
is ei  
talia  
ptis  
Im  
tum  
bus  
plan  
que  
M  
tam  
sed  
C  
tent  
pona  
sto S  
re Si  
rum  
persp  
tur.  
tius i  
accul

Quibus versibus furor alapas Christo infligentium, atque os eius conspuentium, & flagellantium, ac tandem configentium quam graphicè exprimitur. Tum, quod satis in oraculo, si oraculum est, mirari non possumus, coronæ spineæ fit mentio. Cui illud accedit, non minus mirandum, de potu fellis & aceti, qui illi in cruce pendenti oblatus fuit.

Eis ἡ τὸ Βεῶμα χολὴν, οὐκ εἰς δίψας ὅξος  
έδωκαν

Τῆς αὐτοῦ θεραπείας θάυμα δεῖξος πράπεζαν.

Et alibi :

Eis δὲ τὸ Βεῶμα χολὴν, ἢ εἰς πότον ὅξος  
ἄπειστον

Δυσερέως δώσθοι, κακῷ Βεβολημένοι ὅτεροι  
Στήθεα οὐκ οφεδίην, αἴταρε ὄμμασιν σὸν ἐσ-  
ρῶντες,

Τυφλόπερρι απαλάκων, Φοβερώτεροι ἐρπα-  
σίξων,

Θηρῶν ισβόλων Βαρεῖ πεπεδημένοι ὑπνῳ.

Αλλ' ὅταν ἔκπετασῃ χείρας, οὐ πάντα με-  
τέχοσῃ,

Καὶ σέΦανον Φορέσῃ τὸν ἀκάνθινον, ηδέ γε  
πλευρὴν

Νύχωσιν καλάμοισιν, ὅταν χάρει ἐν τρισὶν  
ώραις

Νὺξ ἔσαι σκοτώσα πελώρεος ἥματι μέσω  
&c.

Quod

Quod enim in paucis Dauidis psalmis admiratus est Augustinus, de nonnullis maxime propriis Christi patientis: ut in Psalmo 21. verba eius : *Quare me dereliquisti? & foderunt manus meas & pedes meos.* item: *& super uestem meam miserunt sortem;* in pluribus non minus propriis & evidentibus quiuis obstupescat, necesse est, oraculis Sibyllæ, si vera sunt. Neque porro quod de regis Chaldæi somnio & aliis eiusmodi diximus, de Sibylla ausim dicere, si talia protulit, ut hanc, quæ proferret & scriptis mandaret, non intellexisse credamus. Immo huic Deum ore ad os, ut Mosi, locutum oportet: quod de iis dicunt Hebræi, quibus Deus non per figuræ & ænigmata, sed per planas & proprias rerum notiones singula quæque aperit.

Merito igitur doctiores oracula illa Sibyllæ tam expressa de Christo non putarunt vera, sed facta & supposita a Christianis.

Cæterum non desunt, qui hic medium sententiam quodam arbitrii temperamento proponant. Nempe in his oraculis, quæ de Christo Sibyllæ nomine proferuntur, quædam vere Sibyllina esse, alia notha, pia Christianorum fraude veris inserta, quæ scilicet magis perspicua sunt & rerum circumstantiis notantur. Ita rem componit Richardus Montacutius in quartæ exercitationis sect. 4. vtrumque accusans, & Baronium Cardinalèm & Casaubonum:

bonum : illum, quod omnia, quæcumque de Christo in vulgatis Sibyllinis leguntur, genuina vatis illius esse putauerit; hunc, quia omnia de Christo supposita a Christianis censeat. *Neque ullo modo* (inquit) probari debet, nedum defendi, doctissimi exercitatoris (Casauboni) opinio, qui quæcumque manifesta reperiuntur de Christo Iesu, & Christi in carne omnivora, sub nomine Sibyllarum recitata, vel etiam Hydaspis & Trismegisti, si ymagines & conficta arbitratur, ut pias fraudes a maioribus. Verum tam probus & æquanimus censor debebat nobis indicare in illa oraculorum farragine, quæ prophetae Sibyllæ essent, quæ supposita. Quod non facit, quando & manifesta de Christo in iis libris reperita non æquum censet tanquam notha expungi, eoque nomine Casaubonum culpat, quod omnia huius generis notis configat. At (inquit) veteres illi gentium philosophi, rhetores, philologi, grammatici, ciuitatum magistratus & principes, quibus antiqui Ecclesiæ patres oracula illa Sibylle proponebant, non tarde fraudem subodorati fuissent, si ullam iis subesse credidissent. Quasi vero Celsus, in eorum philosophorum albo, in iis disputationibus, quas aduersus eum Origenes habuit, non aperte obiiciat, Christianos παρεγέρειν μηδὲ εἰς τὰ ἐκείνης πολλὰ καὶ Ελάσθρου εἰνὴ δύνασθε. hoc est, multa posuisse falsa iis libris temere & impia in Deum dicta inserere. Ita vocat quæ de Christi DEI humana

humana natura & laboribus in Euangeliis leguntur. Tum Sibyllinorum, quæ Christiani proferebant, publicus contemptus & aspernatio, non suspicionis in illis malæ fidei idoneum argumentum censeri debet? Nam si illa Sibyllæ genuina esse credebant, cur non iis fidem præbuerunt, & se de vera religione conuinci passi sunt? cum tantæ apud eos auctoritatis Sibyllæ effata essent, maxime apud Romanos, quibus nihil sanctius olim Sibyllæ oraculis fuisse constat. Ita enim de iis tradit Dionysius Halicarnasseus: ὁδὲν ἔτω Παῦλος Φυλάτγον, ἐπεὶ ὅσιον κτῆμα, ἐπεὶ εργὸν, ὡς τὰ Σιβύλλια θέσφατα.

Nec vero melior responsio est Origenis: male a Celso fraudis argui Christianos in Sibyllinis, qui aliter conuinci non possint, quam si illis antiquiora Sibyllinorum exemplaria preferrentur, in quibus nihil de Christo proditum legeretur. Parum solida, inquam, hæc responsio. Quam multa critici in auctoribus antiquis ut spuria obelo configunt atque expungunt, ex sola coniectura, quod ea stylo alicuius, aut ingenio, aut moribus, aut instituto parum consentanea iudicant? Sic Aristarchus celebris grammaticus, nulla alia in plerisque quam iudicii sui amissitati fiducia, & longo vsu in literis, qui Homeri versus genuini essent, qui nothi, pronunciabat, tanto omnium eruditorum assensu, ut non temere eorum versuum aliquis

aliquis satis Homericus videretur, quem non ille esse talem comprobasset. Quam eandem iudicij auctoritatem Varroni concessam in re-censendis Plauti fabulis testatur Gellius lib. 3. cap. 3. quem locum adscribere operæ pretium est : *Verum esse comperio, quod quosdam bene literatos homines dicere auditui : qui plerasque Plauti comedias curiose atque contente lectoruerint, non indicibus Helli Sedigit, nec Claudii, nec Aurelii, nec Accii, nec Manilii, super his fabulis, quæ dicuntur ambiguæ, credituros, sed iphi Plauto, moribusque ingenii atque linguae eius.* Hac enim iudicij norma Varronem quoque esse usum videmus. Nam præter illas unam & vi-ginti, quæ Varronianæ vocantur, quas idcirco a ceteris segregauit, quoniam dubiosæ non erant, sed consensu omnium Plauti esse censebantur ; quas-dam item alias probauit, adductus stylo atque facetia sermonis Plauto congruentis : easque iam nominibus aliorum occupatas Plauto vindicauit. Hæc ille.

Si Aristarchus de Homeri versibus, Varro & alii Romani de Plauti comediis veritatem citra exemplarium fidem, solo iudicio freti, cognoscere potuerunt ; cur non Celsus ille philosophus, & alii ethnicorum disciplinis præstantes viri, pronunciare de Sibyllinis, quæ horum genuina quæ spuria censi debarent? Omitto, non fuisse proclive neque, neq; Celso aliis priuatis hominibus, adire ad illa genuina & sincera

Sibyllæ

Sibyllæ exemplaria , si qua essent , ad redarguendam impostorum fraudem , vtpote quæ , vt supra ostendimus , in vrbium archiuis & fanorum sacrariis procul a profanorum curiositate laterent ; Romæ in primis ea religione custodirentur , vt nemini mortalium ea inspicere liceret , nisi viris quindecim , idque Senatus decreto , quo illa inspiciendi potestas fieret.

## CAPVT XVII.

*Sibyllæ & aliorum ethnicorum vatuum oracula nullius auctoritatis:  
& de Hydaspe mago.*

**N**on solum vero falsi suspecta Ethnicis fuisse oracula illa de Christo , sed etiam Ecclesiæ ; quo nihil ad eorum auctoritatem infringendam vehementius iudico . Alioqui dicant mihi eorum assertores , cur Apostoli , & qui proprius eos insecuri sunt , in suis apud Græcos & alias externas nationes concionibus non illa iis de Christo testimonia proposuerunt , Paulus præsertim , qui Arati , Epimenidis , Menandri versus ad Athenienses verba faciens sacræ interponit concioni : cur igitur de Sibyllæ oraculis ne verbum quidem ? cur ne ad Romanos quidem scribenti venit in mentem Sibylla , cuius sanctam iis auctoritatem esse ignorare non potuit ? Scio quid Clemens scri-

ptum reliquerit in sexto Stromat. solitum hunc in sermonibus ad ethnicos ablegare eos non modo ad Sibyllæ, sed etiam ad Hystaspis magi libros, his verbis, quæ tanquam e concionibus eius excepta profert : *λάβετε τὰς Ελληνικὰς Βίβλας ἀπίγνωτε Σιβυλλαν, ὡς δηλοῖ ἔνει Γεὸν, οὐ γὰρ τὰ μέλλοντα ἔστε ξένοι· καὶ τὸν τραϊανὸν λαβόντες ἀνδράγνωτε.* id est, *Libros græcos sumite in manus, agnoscite Sibyllam, quomodo unum Deum significet, & ea quæ sunt futura.* Hystaspem quoque sumentes legite. Verum quod tales Apostoli conciones citat Clemens non mirabitur, qui eius libros studiose euoluerit. Ita multa alia in iis occurrunt scripta apocrypha, quæ temporibus illis, quibus scribebat, passim circumferebantur. Hæcque ut literarum studiosus & πολυμαθὴς non veretur proferre in medium oblata occasione, ne ignorasse videatur. Sic in tertio eorumdem librorum hæc Christi verba ex Euangeliō Ægyptiorum refert: *Ἔλθον καταλύσας τὰ ἔργα τῆς Ἰηλείας. Veni soluere opera femina;* hoc est, ut ibi interpretatur, cupiditatis, quam feminam appellat. *Ἐγένετο τοῦτο Φιλοράτης.* Opera autem cupiditatis sunt generatio & corruptio. Post quæ verba subdit Christi colloquium cum Salome: Cum (inquit) Christus dixisset: *Veni addissoluendum opera femina,* hoc est, cupiditatis, cuius opera sunt peccata & animæ interitus, quærerit Salome: *Quousque morientur homines?* cui respondet Seruator:

*Quam.*

*Quamdiu parient mulieres, hoc est, cupiditates operabuntur.* Rursus Salome non intelligens allegoriam subdit: *Recte ergo feci que non pепeri.* Ibi porro rursus subdit Dominus: *Omnibea vescere, ea autem, quae habet amaritudinem, ne iуescaris.* Quo innuit, liberum esse vnicuique matrimonio vti, aut continentiam seruare, si cui alterutrum amarum molestumque videatur.

Hęc ea causa adnotare visum est, vt omnes intelligant, quantum sibi & Clemens & alii eius ætatis permiserint in quibuscumque citandis veterum scriptis, non multum curantes, vera essent an facta & supposititia, quae in medium proferrent. Ac de aliis, quos citat, mitto in præsens dicere: certe quod ad Hystaspem attinet, cuius lectionem suis auditoribus commendasse Apostolum Paulum in concionibus autumat, quantum erret, ex iis quae de Hystapse illo mago tradit Ammianus Marcellinus lib. 23. intelligi potest, neque abs re sit locum referre: *Magiam opinionum insignium* auctor amplissimus Plato machagistram esse verbo mystico docet, diuinorum incorruptissimum cultum, cui scientiae seculis priscais multa ex Chaldaeorum arcanis Baetrianus addidit Zoroastres: deinde Hystapes rex prudentissimus Darii pater. Qui cum superioris Indiae secreta fidentius penetraret, ad nemorosam quamdam venerat solitudinem, cuius tranquillis silentiis precelsa Brach-

manorum ingenia potiuntur : eorumque monitu rationes mundani motus & siderum , purosque sacrorum ritus , quantum colligere potuit , eruditus , ex his que didicit aliqua sensibus magnorum infudit : quæ illi cum disciplinis præsentiendo futura , per suam quisque progeniem posteris ætibus tradunt . Ex eo per secula multa ad præsens una eademque prosapia multitudo creata deorum cultibus dedicatur . Feruntque etiam , si iustum est credi , ignem cælitus lapsum apud se sempiternis foculis custodiri , cuius portionem exiguum ut faustam præisse quondam Asiaticis regibus dicunt .

Ex hoc , inquam , Ammiani loco patet , quam sit absurdum putare , talem virum ab Apostolo fuisse propositum populis , cuius libros de vero DEI cultu & rebus diuinis consulerent : quem , velut alios eius sectæ , deorum , hoc est , cacodæmonum multitudinem agnouisse & professum fuisse , magiae definitio , siue interpretatio , a Platone in primo Alcibiade tradita , declarat . Hanc enim dicit esse Ἱεραπτειαν deorum cultum ; quemadmodum & Apuleius refert in apologia . Sed & illam ignis , quem cælitus delapsum fingebarūt , custodiendi & regibus præferendi superstitionem ab eodem Hy staspe transmissam aliis magis indidem patet . Quod satis est ad incutiendum cuius Christiano horrorem librorum Hy staspis , nedum tanto Apostolo . Ut satis mirari non possim , tali quoque

quoque teste ad Christum ethnicis insinuandum sustinuisse uti Justinum Martyrem in apologia secunda. Quo loco etiam deplorat temporum conditionem, quod Imperatorum editis prohiberetur lectio librorum Hyphasis, Sibyllæ, & prophetarum. At enim uero etiamsi illud concederetur, ab illo mago mentionem Christi inter deos factam fuisse; quis tamen non videt, tali testimonio admittendo latam ethnicæ superstitioni omni atque idolatriæ aperiri portam, pietatis autem christianæ puritatem contaminari, dum impuri dæmones deorum nomine in eiusdem cultus societatem vocantur. Eadem ratio est Sibyllæ; quæ & ipsa, ut supra monstratum est, falsorum deorum cultum præcipit. Non minus proinde temere Lactantius Sibyllam & Mercurium sanctissimis Hebrææ gentis prophetis aggregat atque componit in primo de falsa religione. Nunc (inquit) ad diuina testimonia transeamus: sed prius unum proferam, quod est simile diuino, & ob nimiam vetustatem, & quod is, quem nominabo, ex hominibus inter deos relatusest. Mercurium, quem Thoh Ægyptii vocant, a quo & literas & leges accepisse dicuntur, intelligit: ab aliis idem *ter maximi* cognomine adiuncto nominatur. Cuius tamen testimonio certiora multo Sibyllarum carmina ibidem censet.

## CAP V T XII X.

*Augustini, Hieronymi & Ambrosii  
de Sibyllinis, quod ad religionem  
attinet, iudicium.*

**S**ed ex omnibus argumentis, quæ aduersus Sibyllæ diuinitatem & falso tributam auctoritatem afferri possunt, validissimum illud mihi videtur, quod ex Ecclesiæ iudicio ducitur. Quo argumento Augustinus contra Faustum Manichæum vtitur; qui Sibyllæ, Orphei, & aliorum externorum vatum testimonia, ad gentes de Christo persuadendas accommodatoria & effacioria esse contendebat iis omnibus, quæ in Hebræorum prophetarum libris de eodem scripta extant. Hunc igitur Manichæum *in hoc deceptum* dicit, *quod non attenderet, in nullis ecclesiis illa (Sibylla vaticinia) recitari, cum Hebrei prophetæ in omnibus gentibus clareant, atque ad Christianam salutem tanta infidelium examina deducant.* Ita ille in libris contra Faustum. In quibus adhuc expressius alibi: *Sibylla porro, vel Sibyllæ, & Orpheus, & nescio quis Hermes, & si qui alii vates, vel theologi, vel sapientes, vel philosophi gentium, de filio Dei, aut de patre Deo, vera prædictisse seu dixisse perhibentur: valet quidem aliquid ad paganorum vanitatem reuincedam, non tamen ad istorum auctoritas;*

auctoritatem amplectendam, cum illum Deum nos colere ostendimus, de quo nec illi tacere potuerunt, qui suos gentiles populos ad idola & dæmonia colenda partim ducere ausi sunt, partim prohibere ausi non sunt. At illi sancti auctores nostri &c. Quibus verbis Augustinus omnem plane Sibyllæ oraculis in Ecclesia auctoritatem derogat, duabus de causis. Prima est Ecclesiæ consuetudo; quod hæc nunquam solita sit Sibyllæ & aliorum ethnicorum uti testimoniis in negotio religionis, vel aduersus paganos. Altera est ipsius Sibyllæ improbitas, diuinis profana miscentis, ac eadem charta celebrantis Christum, simul populares suos ad falsorum deorum cultum inuitantis, atque infandos sacrorum ritus docentis. Quo vtroque modo Sibyllæ de Christo vaticinia explunduntur planissime. Priore quidem sic. Sententia est M. Tullii ab ipsius naturæ adytis prompta: *Omnis in re consensio omnium gentium lex naturæ putanda est.* uæ lex naturæ falsa esse non potest. Quanto magis consensus omnium fidelium, qui Ecclesia dicitur? Alii enim homines naturæ lumine & ratione, quæ omnibus est communis, reguntur; Ecclesia Spiritu Sancto, qui neque fallere neque falli potest. Cum igitur Ecclesiæ consensu iudicatum sit, & consuetudine firmatum, non esse dignam Sibyllam cuius testimonium inter iusta fidei instrumenta habeatur, vel apud ethnicos,

ad insinuandam iis veritatem religionis christianæ; annon ex hoc vel maxime intelligi potest, falsa esse illa de Christo vaticinia, quæ eius nomine feruntur? Neque enim talia aliunde illi, quam a Spiritu Dei offerri potuissent. Hoc autem dici non potest: quia frustra es- sent vaticinia illa, quorum nulla auctoritas, usus nullus in Ecclesia esset. Nihil autem Deus temere aut frustra facit.

Sed neque huiusmodi omnium fidelium con- sensio in explodendis Sibyllæ libris inanis & nulla vehementi fulta ratione censeri debet. Quæ ratio alia esse non potest, nisi quod nunquam satis compertum fuit atque exploratum Ecclesiæ, hæc vaticinia de Christo vera esse Si- byllæ, aut illi numinis afflatu expressa. Quod sane ad illa explodenda sufficit. Quia non est maiestatis Ecclesiæ, incerta pro certis amplecti & proponere: cum sit columna & firmamentum veritatis; ita Apostolo perhibente in I. ad Timoth. cap. 3. Quod igitur Ecclesiæ semper incertum fuit, hoc quisquam pro certo amplecti, tueri, afferere audeat? Saltem igitur Sibyllina de Domino oracula in- certa esse fatendum est: quod, ut dixi, satis est ad imponendum silentium iis, qui illa pro idoneis veræ religionis testimoniis venditant.

Sed & illud vehemens ad abrogandam Sibyllinis auctoritatem omnem argumen- tum censendum, quod habet idem Augu- stinus

Itinus in lib. 18. de ciuitate Dei cap. 47. vbi  
 postquam concessit, non incongrue credi pos-  
 se, non modo apud Judæos, sed etiam in aliis  
 gentibus extitis homines, quibus humanæ  
 per Christum redemptionis mysterium reuel-  
 tum fuerit, quique ad hoc etiam prædicen-  
 dum impulsi sint, siue (inquit) *participes eius-  
 dem gratiæ fuerunt, siue expertes, siue per ma-  
 los angelos edocti sunt, quos præsentem Christum,*  
*quem Judæi non agnoscebant, scimus fuisse con-  
 fessos.* Postquam hoc dixit, paulo infra ver-  
 sus finem capituli subdit: *Sed quæcumque alio-  
 rum prophetiæ de Dei per Christum Jesum gratia  
 proferuntur, possunt putari a Christianis esse con-  
 fictæ.* Vbi quandam insinuat distinctionem:  
 nempe in eorum numero, quibus extra popu-  
 lum Dei apud alias gentes natis reuelatum est  
 Christi mysterium, quosdam gratiæ eius fuisse  
 participes, & pertinuisse ad spiritualem Jeru-  
 salem; alios ex eo electorum numero non  
 fuisse. Illorum igitur si quæ extent prophe-  
 tiæ de Christo, vt beati Job, esse amplecten-  
 das; horum autem, qui gratiæ expertes fue-  
 runt, vaticinia, si quæ ferantur, credi posse  
 conficta a Christianis. Quibus verbis amplius  
 declarat, vt non est absurdum credi, Sibyllæ  
 & aliis ethnicis vaticinis reuelatum Christi gra-  
 tiæ arcanum & prædictum, sic neque absconum  
 videri debere, si quis ea de Christo vaticinia  
 supposita a Christianis censeat.

Ecce , quam aperte Augustinus Christianorum veterum fidem in venditandis Sibyllæ oraculis suspectam habet. Ut desinant quidam partium magis quam veritatis studijs theologi acerbius incusare Casaubonum , quod in exercitationibus ad Baronii annales , in disputacione de Sibyllæ oraculis hæc scripsit : *Postremo me id vehementer mouet , quod videam , primis Ecclesiæ temporibus quamplurimos extitisse , qui facinus palmarium iudicassent , figmentis suis celestem veritatem adiutum ire. Quo facilius scilicet noua doctrina a gentium sapientibus admitteretur.* Quam Casauboni censuram expendens Montacutius in quarta exercitatione : *Quam vellem ( inquit ) Casaubonus spongiam induxisset importunis illis &c.* Neque hanc ferendam viri doctissimi censuram , & merito a Rosveldo flagellatam , censet. Ergo & illa Augustini modo allata flagellanda est , & spongia ei , ut magnæ importunitatis , inducenda. Quod enim magnus hic Ecclesiæ doctor putari posse dicit de Sibyllæ & aliorum ethnicorum vatum de Christo oraculis , hæc scilicet a Christianis fuisse conficta , id ipsum factum putauit Casaubonus : in quo nihil aliud quam iudicium Augustini sequitur. Eant igitur , & eadem censura , qua Casaubonum explodunt , & propriodemum impietatis damnant , Augustinum in ordinem cogant , & importunitatis damnent.

## CAPVT XIX.

*Alia Augustini verba expenduntur: Montacutii in iis hallucinatio demonstratur.*

Postquam dixit Augustinus : quæcumque aliorum, hoc est, ethnicorum de DEI per Christum Jesum gratia proferuntur, putari posse a Christianis conficta ; mox exinde hanc consequentiam infert : *Ideo nihil est firmius ad conuincendos quoslibet alienos, si de hac re contenterint, nostrosque fulciendos, si recte sapient, quam ut diuina predicta de Christo ea proferantur, quæ in Iudaorum scripta sunt codicibus. Quibus auulis de sedibus propriis, & propter hoc testimonium toto orbe dispersis, Christi usque quaque creuit ecclesia.* Quia, inquit, quæ ab Ethnicis profectæ de Christo prophetæ instam apud Judæos & Ethnicos ipsos fraudis suspicionem habent, & suppositæ a Christianis videri possunt; nihil tutius & firmius esse potest ad Ethnicos pariter & Judæos conuincendos iis locis, quæ de Christo perscripta extant in Iudaorum libris. Hæc sententia est horum verborum Augustini. Ex qua efficitur, minime esse laborandum nobis de illis Sibyllæ de Christo oraculis, siue res sit nobis cum Judæis, siue cum paganis, cum ab utroque hominum generi repudiari possint, ut Christianorum figmenta,

Verum

Verum Montucutius, qui vbiue inter Baronium & Casaubonum caduceator incedit, ne omnem Sibyllæ libris auctoritatem deroget, quod facit Casaubonus contra Baronium, saltem ad Ethnicos confundendos valere Sibyllæ oracula contendit, immo nihil validius iis contra eos afferri posse: apud Judæos autem agentibus minime iis esse vtendum, quod talibus gentium vaticiniis nullam fidem adhiberent. Hos igitur Christum negantes solis Hebræorum prophetarum, quos recipiunt, testimoniis esse refutandos; quemadmodum Sibyllæ suæ oraculis Ethnicos. Sic autem hanc rationem in quarta Exercitationum Ecclesiasticarum sect. 4. in disputatione contra Rosvveydum explicat: *Gentiles & pagani Iudeorum vaticiniis num sunt inuoluendi? qui nec prophetas ipsos olim nossent, nec quid dona prophetæ & charismata possent.* Meministi, opinor, relatum a te nuper de Cypriano viro disertissimo & acer- rimo disputatore, admirsum illum a Firmiliano apud Lactantium, quod contra paganum Deme- trianum scribens prophetarum uteretur *GeoΦο-  
ερμένων & Apostolorum testimonis*, cum ille ea ficta, fucata, futile diceret & commentitia. Meministi, Chrysostomo eandem omnino fuisse mentem, Hieronymo eandem. Immo vero ra- tionem id suadere non ignoras, ut in principiis iisdem subsistentes per communia & confessaprin- cipia refellamus. Quid ergo Augustinus in con- trarium

trarium adductus ? quasi vir, si quis alius, architectonicatos & dialecticarum peritissimus rationum, tam pueriliter hallucinari poterat, ut paganos conuincendos, informandos, docendos e Scripturis, quas non acceptabant, opinaretur. Certe aliter non erat Augustinus hac in re animatus, quam ille, qui Cyprianum fugillabat. Hæc ille de testimoniis aduersus Ethnicos proferendis. De Judæis autem sic : *Judei veteris testamenti scriptores diuinitus inspiratos libentissime fuerant admissuri.* Ex iis facillime poterant & clarissime de Jesu Christo refutari. Et abunde sunt a Patribus (hoc enim præstítit Justinus Martyr & alii) refutati. At iidem prophetæ non erant pari modo sufficiunt ad paganos refutandos, quibus non erat æque persuasum ac Judæis de illorum auctoritate. *Judei*, quibus optime persuasum fuerat de prophetis & illorum vaticiniis, verisimiliter refelli poterant per oracula Sibyllina ; tamen cum & illi respondere possent, illorum vaticinia conficta fuisse per Christianos, quod peræque gentiles & cum pari ratione non poterant respondere, standum docet Augustinus testimoniis prophetarum. Ita quoslibet alienos apud Augustinum non ad genera singulorum, sed ad singulos unius generis referemus, cum de iis loquatur Augustinus.

Ita ergo Montacutius verba illa *quoslibet alienos* in superiore Augustini loco accipit, ut ad solos Judæos pertinere censeat : quasi Augustinus

gustinus *quoslibet alienos* dicens, quoslibet particularium Judæorum tantum intelligeret, non autem quoslibet homines alienos a fide christiana. Qua in re quantum a mente Augustini aberret, aliis ipsius Augustini locis ostendi potest. Id enim agit Montacutius, ut ostendat, foliis Sibyllæ & aliorum ethnicorum de Christo testimoniis redarguendos esse ipsos ethnicos, minimi esse momenti illa testimaonia aduersus Judæos. At hoc plane est contra Augustinum, qui in libris contra Faustum Manichæum laudato supra loco eum hereticum, id ipsum quod Montacutius defendantem, explodit, eo hunc deceptum dicens, quod non attendereret, *in nullis ecclesiis Sibyllæ illa vaticinia recitari, cum Hebrei prophetæ in omnibus gentibus clareant, atq[ue] ad christianam salutem tanta infidelium examina deducant.*

Præterea quod non modo Judæos sed & paganos Scripturæ testimoniis de Christo convinci posse censuerit Augustinus, clarissimis eius dictis ostendi potest. Primum quidem iis, quæ habet in capite 46. lib. 18. de ciuitate Dei, vbi de dispersione Judæorum agit per omnes terras. Quod factum censet Dei prouidentia, ut extarent vbique codices, & præsto essent nobis prophetarum de Christo testimonia, quæ gentes a Christianis supposita suspicari non possent; cum ii codices illa testimonia continentes essent penes Christianorum infensissimos hostes Judæos, & ab iis summa

dili-

diligentia asseruarentur. Verba adscribam:  
Judei autem, qui eum (CHRISTVM) occide-  
runt, & in eum credere noluerunt, quia oportea-  
bat eum mori & resurgere, vastati infelicius  
a Romanis, funditusque a suo regno, ubi iam eis  
alienigenæ dominabantur, eradicati sunt, disper-  
sique per terras. Quandoquidem ubique non  
desunt (supple: Judæi) & per scripturas suas  
testimonio nobis sunt, prophetias nos non finxisse  
de Christo; Rursus paulo infra: Nobis quidem  
illæ (scripturæ) sufficiunt, quæ de nostrorum ini-  
micorum (Judæorum) codicibus proferuntur, quos  
agnoscimus, propter hoc testimonium, quod nobis  
inuiti perhibent, eosdem codices habendo atque  
seruando, per omnes gentes etiam ipsos esse di-  
spersos, quaquauersum Christi ecclesia dilatatur.  
Hoc etiam de eadem re ibidem subiungit: De-  
monstravit ergo Deus Ecclesiae in eius inimicis Ju-  
deis gratiam misericordiæ suæ; quoniam sicut  
dicit Apostolus: delictum illorum salus est genti-  
bus: & ideo non eos occidit, id est, non in eis  
perdidit quod sunt Judei, quanquam a Romanis  
fuerint deuiditi & oppressi, ne obliti legem Dei, ad  
hoc, de quo agimus, testimonium nihil valerent.  
Ideo parum fuit ut diceret: ne occideris eos, ne  
quando obliuiscantur legem tuam; nisi etiam ad-  
deret: disperge illos: quoniam si cum testimo-  
nio scripturarum in sua tantummodo terra non  
ubique essent, profecto Ecclesia, quæ ubique est,  
eos prophetiarum, quæ de Christo præmissæ sunt,  
testes in omnibus gentibus habere non posset.

Quod

Clara horum locorum sententia est, propterea dispersos per omnes nationes Judæos, non autem, ut eorum meritum fuit, internecione deletos, ut Christianis aduersus paganos disputationibus, scripturæ, quam penes se diligenter asseruant, certis de Christo testimoniis & vaticiniis inseruire vel inuiti possent. Quo pacto ostendit Augustinus, Scripturam prodesse non modo ad Judæos, si animum aduertere velint, sed etiam Ethnicos de Christi gratia conuincendos. Quod cum locis allatis manifestum est, tum maxime euidentis & luce meridiana clarius fit isto eiusdem loco in Psalmi 40. enarratione. *Maior seruiet minori: modo impletum est; modo, fratres, nobis seruiunt Iudei, tanquam capsarii nostri sunt, studentibus nobis codices portant.* Audite in quo nobis Iudei seruiunt, & non sine causa. Cain ille frater maior, qui occidit minorem, accepit signum ne occideretur, id est, ut maneat ipse populus. Apud illos sunt prophetæ & lex, in qua lege & in quibus prophetis Christus prædicatus est. Quando agimus cum paganis, & ostendimus hoc euenire modo in Ecclesia Christi, quod ante prædictum est de nomine Christi, de capite & corpore Christi, ne putent nos finxisse illas prædictiones ex his rebus que acciderunt, quas existimant nos conscripsisse, quasi futuræ essent, proferimus codices Iudaorum. Nempe Iudei inimici nostri sunt, de chartis inimici conuincitur aduersarius.

Hac

Hæc ibi Augustinus : quibus Montacurii scrupulus facile tollitur, absurdum putantis profere ethnicis Scripturæ testimonia, quibus non credunt. Nam si iis simpliciter testimonia illa absque villa præfatione & præparatione opponerentur, valeret ratio illa; non autem, si fiat quod dicit Augustinus. Primum quidem doceantur ethnici, inimicos esse Christianis Judæos; non fauere proinde hos illis, nedum quicquam eorum gratia de Scripturis mentiri vellent: præterea, in sacris eorum codicibus, quos cum summa semper cura & fide seruarunt, hæc ipsa reperiri scripta de Christo, quæ Christiani credunt. Quibus sane intellectis, facile omnis remouetur suspicio fraudis ab iis, quæ a nobis proferuntur, testimoniosis de Christo. Hæc est ratio disputandi adversus paganos de vera religione ex Scripturæ oraculis. Quam & Firmianus lib. 5. c. 3. agnoscere & commendare videtur his verbis, in quendam sui temporis calumniatorem Christianæ pietatis agens: *Non est mirum, si tu, qui a Dei sapientia longe remotus es, nihil prorsus intelligis eorum, quæ legisti: cum Judæi, qui a principio prophetas lexit auerant, quibusque sacramentum Dei fuerat adsignatum, tamen quid legerint ignorauerint. Disce igitur, si quid tibi cordis est, non idcirco a nobis Deum creditum Christum, quia mirabilia fecit, sed quia vidimus in eo facta esse omnia, quæ nobis annunciatæ sunt vaticinio prophetarum. Fecit mirabilia: magum putassemus; ut & vos nuncupatis, & Judæi tunc putauerunt; si non*

*illa ipsa facturum Christum prophetæ omnes uno  
spiritu prædicassent.*

Ita intelligendum illud a Montacutio allatum de Cypriano martyre; quem eo nomine reprehendit Lactantius ejusdem libri capite 4. quod aduersus quendam Demetrianum, puerum putum ethnicum, disputans, solis eum Scripturæ testimoniis, quam ille vtique vanam, fictam, commentitiam putabat, refelli posse sperasset. Quod factum sic ibi improbat Lactantius: *Nam cum ageret contra hominem veritatis ignarum, dilatis paulisper diuinis lectionibus, formare hunc a principio tanquam rudem debuit, eique paulatim lucis principia monstrare, ne toto lumine obiecto caligaret.* Credo etiam hoc velle Lactantium: debuisse prius erudiiri hunc ethnicum de Judæorum gente, antiquitate, religionis ritibus, prophetis, tum iis quæ in Christum egissent, odio in Christianos; hocque modo illi insinuare veritatem eorum, quæ Christiani de Christo crederent, cum illa in Judæorum libris tanto ante prædicta pateret. Hæc namque lucis ethnicis insinuandæ principia & præliminia. Postquam scilicet paganarum superstitionum vanitas humanis philosophorum & historicorum testimoniis patefacta fuisset. Hi namque gradus: primum demonstrare, quæ pagani de diis dicunt falsa & absurdæ esse: deinde ad Judæorum religionem transire: ex his ad Christianos. Oportebat

bat (inquit) huic, quia nondum capere poterat diuina, prius humana testimonia offerri, id est, philosophorum & historicorum, ut suis potissimum refutaretur auctoribus. Non ergo absurdum putat Lactantius virginis ethnicos testimoniis prophetarum, quae in sacris Judæorum libris continentur, si id fiat cum opportuna & conuenienti animorum præparatione. Qualis hæc ab Augustino tradita, vt insinuaret illis, non posse esse facta a Christianis, quæ in sacris Judæorum codicibus, ita ut Christiani proferunt, scripta reperiantur.

Non minus fallitur idem auctor, cum fidem aut honorem ullum paganos habuisse literis Ju-dæorum, & prophetarum ejus gentis oraculis, negat. Immo apud gentes nemo doctus extitit, qui non de Mose prophetarum antiquissimo audisset, & magnum fuisse virum & diuinum fate-retur. Non ipsi philosophi e Peripato, quantumvis argumentosi, & naturalium rationum tenaces, negare potuerunt, quin, quæ Moses scriptis mandasset, diuina essent, sed ea nolebant ad literam accipi. Quo sane spectant Simplicii verba lib. 8. physic. auscult. in digressione contra Philoponum, quibus negat, Mosis verba, quæ initio voluminis rerum primam originem exponunt, ad eum sensum, quem litera sonat, trahi debere, quemadmodum Philoponus volebat: ἐννοείτω, οἱ μυθικῆ τις ὅδη ἡ παρέδοσις, ηγὲ δπὸ μύθων Αἰγυπτίων ἐλκυσμένη. id est, Sciat, quod ibi traditur fabulosum esse quiddam,

æ fabulis Ægyptiis tractum. Quod non ita dicit, quia Mosem contemnebat, sed quia hunc aliud, quam sonant verba, innuisse censebat. Neque enim philosophi Ægyptiorum fabulas contemnebant, sed venerabantur potius, eodem que habebant loco, quo nos Scripturæ ænigmata: ut patet ex Plutarchi libro de Iside & Osiride. Sed & Porphyrius in libro de antro Nympharum eiusdem prophetæ verba: *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas: quid sensus occulti habeant, ex Numenii Platonici sententia exponit.* Multa hic possem adiungere in eandem sententiam ex Eusebii Pamphili præparatione evangelica; sed nolo in re cunctis obuia esse longus: sufficiunt enim quæ ex Augustino attuli, de suspecto Sibyllæ & aliorum externorum Vatum testimonio in iis, quæ ad Christum pertinent.

Quodcumque autem testimonium iustum habet fraudis & falsitatis suspicionem, siue Sibyllæ siue cuiuslibet alterius auctoris, non esse idoneum ut ex eo nulla certa eliciatur probatio, siue contra paganos, sive contra Judæos, quæ de Christi adventu & diuinitate convinci possint, palam est.

## CAPVT XX.

*In eos qui Sibyllina, licet ficta, ut putant, a Judæis, magni ad eos conuincendos momenti esse putant.*

**Q**UAMOBREM satis mirari non possum, quosdam recentiores viros doctos tantum Sibyllinis nonnullis tribuere, ut nihil ad infringendam

dam Judæorum pertinaciam valentius esse pu-  
tent. Quod enim dicunt, inter oracula, quæ Si-  
byllæ nomine vulgata a Judæis fuere, illud fuisse  
de rege venturo, cui vniuersus terrarum orbis  
subiiciendus esset, idque oraculum prodiisse il-  
lo ipso anno, quo Pompeius in Syria res gerens  
cepit Jerosolyma; qui cordatis viris pro-  
bari possit, non video. Istud enim oracu-  
lum, quod a Judæis tunc temporis suppositum  
fuisse dicunt, his versibus aiunt contineri, qui  
in nostris Sibyllinorum libris sub finem secun-  
di libri leguntur:

Αυταρέ ἐπεὶ Ρώμην καὶ Αἰγύπτῳ Σασιλεύσει  
Εἰς ἐν διήνυσα, τότε δὴ Σασιλεία μεγίστη  
Αἴγανάτῳ Βασιλῆος ἐπ' ἀνθεώποισι Φανεῖται.  
Ηὗσι δ' αἴγνος ἄναξ πάσης γῆς σκῆπτρο  
κρατήσων,

Εἰς αἰῶνας πάντας ἐπειχομένοιο χερόνοιο.  
Καὶ τότε Λατίνων ἀπαράίτητος χόλος ἀνδεῶν  
Τρεῖς Ρώμην ὀικλῇ μοιρῇ καθαδηλήσουται.  
Πάντες δ' ἄνθεώποι μελάθρεις ιδοισιν ὀλόνται,  
Οππότεν δέρνοιτεν πύρμος ρέυση καθαρίτης.

Apponam versionem Castalionis, ut græca illa  
omnes intelligant:

Sed postquam Roma Ægyptum reget, imperioq;  
Frenabit, summi tum summa potentia regni  
Regis inextincti mortalibus exorietur.  
Rex etenim sanctus veniet, qui totius orbis  
Omnia seclorum per tempora sceptra tenebit.  
Tuncque Latinorum non eluctabilis ira  
Tres Romam tristi fatorum stamine perdent.

*Atque suis homines perdentur in ædibus omnes,  
Tum cum de cælo torrens fluet igneus.*

Vbi luculenta est prædictio eius potentiae, quam totis, postquam illud oraculum proditum est, viginti annis Augustus, Lepidus, & Antonius usurparunt, qui ob hanc Triumuiri dicti sunt, tres scilicet summi principes imperii Romani, ut ipsi confitentur. Atqui non video, quomodo iste Judæus, a quo hanc prædictionem Sibyllæ nomine fabricatam & vulgatam autumant, de triumuiratu & iis temporibus tanto ante præscrire potuerit. Viderunt ipsi hunc nodum, sed non expediunt, neque de modo, quo eum expidiant, vel cogitant quidem; & contenti difficultatem indicasse, tanquam nihil ad se pertinere, transvolant. *Si quis (inquiunt) credere nolit, hæc futura potuisse præsciri a scriptoribus Sibyllinorum, per me licet ut credat, quemadmodum ante Corn. Lentulus, ita quoque huius exemplo istos triumuiros ad inuadendam rempublicam instigatos fuisse versibus illis Sibyllinis, quorum tanta apud Romanos esset auctoritas.*

Quibus verbis magis se ipsi impediunt, quam expediunt: cum eos Romanos censem versibus illis supra allatis ad inuadendam rempublicam instigatos fuisse. Quæro enim, cum versus illos Sibyllinos vocant, genuinosne Sibyllæ intelligent, an a quodam Judæo suppositos, ut diserte alias dicunt? Si genuinos intelligunt, sequitur, Sibyllam vere de magno rege & triumuiris vaticinatam, neque nomen Sibyllæ inane esse,

ut pu-

ut putant. Si autem *Sibyllinos* vocant *Sibyllæ* nomine confictos a Judæis, manet perplexitas, quomodo illis temporibus Judæorum quisquam de Romanis triumuiris vaticinari potuerit. Idem tamen manifesta contradictione, vbi de libris apocryphis agunt, Judæos illos, qui de Christo & aliis diuinis *Sibyllæ* nomine prædixerunt, Numinis afflatu id egisse confiteri videntur his verbis: *Ita omnino credimus, omnes istos, quos diximus, libros, vergentibus ad finem Danielis hebdomadibus, a Judeis toto orbe dispersis fuisse compositos, Deo impellente ipsorum mentes ad significandum gentibus Christi aduentum.* Ergo ex his quidem verbis Judæi illi impostores prophetæ fuerunt. Atqui hoc ipsum postea negant in capite de iis, quæ hodie supersunt, *Sibyllinis*: *Nec tamen opus est, ut propterea prophetam fuisse existimemus, quicumque istorum fuerit auctor carminum.* Cum enim duas fuisse Erythræas *Sibyllas* scribat Strabo, alteram priscam, alteram vero quæ *Alexandri Magni* vixerit temporibus; facile Judæis fuit impnere legatis Romanorum missis ad Erythræas *Sibyllæ* colligenda carmina, obtrudendo mercem quæ ex sua prodiiisset officina, pro antiquæ & prisca *Sibyllæ* carminibus.

Quod si respondeant, non eo modo sese Judæos illos arbitrari impulsos ad significandum gentibus Christi aduentum, quo fuerunt prophetæ impulsi, per afflatum scilicet proprie dictum & reuelationem, sed quomodo impelli ho-

mines dicuntur ad aliquid agendum ex solo instinctu, ut vellent ex prophetarum antiquorum libris quædam ad Messiæ aduentum & regnum pertinentia excerpere, quæ metris græce exprimerent, & pro Sibyllinis vulgarent; hoc modo vitatur contradictione, sed redit perplexitas de prædictione triumuiratus apud Romanos futuri: cum mentis humanæ captum excedat, aliquem Judæorum videre sine afflatu diuino, quæ alicubi terrarum post viginti annos futura sint. Quam obrem hoc tam perplexum & inenodabile consideranti mihi nihil tutius videtur, quam regem eum, de quo Sibylla Cumæa loquitur, hoc modo accipi, quo Seruius in 4. Eclogam interpretatur, ad hunc versum:

*Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.*  
ibi Seruius: *Sibyllini, id est, Sibylle quæ Cumana fuit & secula per metallæ diuisit: dixit etiam, quis quo seculo imperaret, & solem vltimum, id est, decimum voluit.* De qua expositione supra iam a nobis dictum est. Sed nihilominus quæ eo loco sequuntur apud doctissimum interpres tem subiungere hic etiam non gravabor: *Dixit etiam, (Sibylla) finitis omnibus seculis rursus eadem renouari: quam rem etiam philosophi hac disputatione colligunt, dicentes, completo magno anno omnia sidera in ortus suos redire, & referri rursus eodem motu.* *Quod si est idem siderum motus, necesse est, ut omnia quæ fuerunt, habeant iterationem.* *Vniuersa enim ex astrorum motu pendere manifestum est.* Hoc secutus Virgilinus dicit,

dicit, reuerti aurea secula, & iterari omnia quæ fuerunt. Veram esse hanc Seruui interpretationem versus eadem ecloga indicat:

Jam redit & virgo, redeunt Saturnia regna,  
cum aliis aliquot sequentibus; quos nemo non  
videt conceptos ex veterum opinione de mundi  
ætatum successione & reuolutionibus: quarum  
in ordine beatissimus hominum status censetur  
fuisse sub Saturno. Hæc autem notanda in pri-  
mis verba: *Dixit etiam Sibylla, finitis omnibus*  
*seculis rursus eadem renouari &c.* Quibus ce-  
lebratam Platoniciis rerum omnium διπλαράσ-  
σιν, hoc est, restitutionem & renouationem de-  
signat, quam ibi iterationem vocat. Quod ca-  
ue intelligas de una reuolutione, qua semel in  
pristinum statum omnia restituantur, qua com-  
pleta hæ vices desinant: cum eas reuolutions  
procedere in infinitum velit Sibylla, quam secu-  
ti sunt Pythagorici, &c, qui eos imitati, Platonici.  
Quod cum ita sit, non appareat mihi, quid  
necessè sit hanc Sibyllæ memoratam restitutio-  
nem esse hanc ipsam, cuius nobis auctor Chri-  
stus, expiatis morte sua hominum peccatis.  
Multo verisimilius est, ethnicam vatem profana  
& paganica scripsisse. Hæc quidem interpre-  
tatio, quam ex Seruio attuli, multo est simplicior  
quam ista, quæ machinam velut in fabula in-  
ducit, Judæum scilicet, nescio quem, isti-  
us oraculi de Christi aduentu auctorem. Fac  
autem, utramque esse æque verisimilem, quid  
tum postea? Nempe animus in ancipiti pendeat

& fluctuet semper necesse est. Ex dubia autem & controuersa interpretatione, quid adversus Judæos aut Ethnicos solidi ad fidem veræ religionis faciendam exprimi possit, non video.

Restat, ut quid illis versibus græcis, quos pro Sibyllinis proferunt, faciendum, explicem. Ego a Christianis posterius factos & suppositos, cum aliis plerisque, qui in hodiernis Sibyllinorum libris leguntur, censeo: alios proinde ab illis Sibyllæ oraculis, quæ Pompeio res in Syria gerente, & sub tempus triumuiratus, circumferebantur. In quibus & de rege orbis domitore prædictum fuisse facile concedo & certum habeo; sed non illo, quem sancti prophetæ venturum prædixere, verum tali, qualis initio Saturnus fuisse fingitur in seculo aureo, iuxta hypothesis illam paganicam restitutionis earundem rerum, per infinitas revolutiones, ut modo dictum est.

Hæc sunt, quæ mihi probabilius de Sibylla & Sibyllinis, post tot homines doctos, qui de iis scripserunt, dici posse visa sunt.

F I N I S.